HISPANIARVM
VINDICIAE TVTELARES,


IN II. LIBROS DIVISÆ:

Venisse in hæc Regna IACOBVM APOSTOLVM, Fideíque lumen intulisse,

Adversus Cardinalis BARONII, aliorúmque Opinionem.

E Bibliothecâ IO. FER. VELASCI *Comitis-Stabuli Castellæ,* &c. *Hispanicè depromptæ,*

Ab ERYCIO PVTEANO Latinitate donatæ.



LOVENI,
In Officinâ typographicâ GERARDI RIVI.
∞. IↃC. VIII.

ILL.MO ET EXC.MO

PRINCIPI PETRO ENRIQVEZ GVSMANNO,

COMITI FONTANO, PRO-DVCI INSVBRIÆ.

ETSI noviſsimus minimúſque libri hujuſce labor meus, MAGNE PRINCEPS: tamen quà meus, & muniendus Tutelâ fuit, & Luce ornandus; ſed utrâque magni tui Nominis, pii, invicti. Vnde majus Munimẽ, quàm ab eo, qui heröico quodam virtutis terrore famam Alexicaci etiam ab invitis expreſsit? tu

ille: & majus Ornamentum, quàm ab eo, qui adultâ rerum gestarum gloriâ splendor audit nostri ævi? tu ille, liberrimè efferam, Belgicæ nostræ, Italiæ, & bonorum ubique omnium suffragio & consensu. Quærent olim isto exemplo Militia Ducem, Pax Rectorem, Virtus, Pietas, Integritas, Iustitia Patronum: an invenient? Homines qui hominibus majores, nō omnibus seculis oriuntur; & siqui tales, veris demum censentur pretiis, cùm fuerunt. Hæc nimirum magnæ virtutis infelicitas, alio seculo nasci, alio æstimari. placet exemplum cùm fuisse dubitatur. Tu verò immortalitate tuâ vivus frueris,

ut

ut magis fruaris, ubi vixeris. Aliorum enim egregia facinora longo intervallo gloria sequitur: tuis adgnata eſt, duratura etiam, quamdiu ullæ res humanæ. Felix igitur, quiſquis tua illa dicet: non ſtilo, ſed argumento æternus; & quam dare ſe putabit Famam virtutibus, accipiet. Sed quod ad editionem hujus libri attinet, etiam *Auctoris*, etiam *Argumenti*, atque adeò *Interpretis* cauſſâ Tibi debebatur. Auctor PRINCEPS eſt, id eſt ejuſdem tecum ordinis & lineæ: ergò & PRINCEPS præſcribendus erat; & tu potiſsimùm, qui ſecundus velut Auctor exſtitiſti, curâ mihi demandatâ Latinè transferendi.

Argumentum verò eódē prorsùs ducebat: VINDICIAE ejus Divi sunt, cujus Tu & cultor eximius, cujúsque Insigni Equestris Dignitatis Prætextam præfers. Etenim HISPANIARVM APOSTOLVS, totiúsque Gentis TVTELARIS Propugnatur: & quid ni, sub umbone auctoritatis tuæ, qui magna Hispaniæ tutela es, quippe Magnas, & è prisco sanguine Magnatū? Ego denique ipse, munere & obsequio Interpres, Amori, imò Beneficētiæ tuæ hoc quidquid est laboris debebam, velut grati memorísque animi signum. Sciant Posteri: *Quem gradu Principem, affectu Patrem habui:* & quo meo merito? quod Bo-

nam

nam Mentem, &, quæ hanc docent, Litteras amavi. Amare pergo: tu me quoque Magne Princeps, & unà hunc librum, Latinitate, tamquam veste meum; imò vitâ & æuo tuum. Vale, & vive. Louenij, Postrid. Kal. Martias. ∞. IↃC. IIX.

EXC.[TIAE] TVÆ

CVLTV *deditus*

PERENNI

BENEFICIO *obstrictus*

ERYCIVS PVTEANVS.

LECTOR,

De isto, sive PRINCIPE, sive HEROE, hæc publicis nunc etiam verbis audebo loqui. Loquitur Belgica, loquetur Italia, omnísque Posteritas: sed illa nostra rerum ab eo paucis mensibus gestarum seriem verissimâ tabulâ repræsentat. Tu vide, & belli hoc fulmen admirare.

AVSPICIIS PHILIPPI II. REGIS CATHOLICI,
ET DVCTV INDVSTRIAQ. PETRI ENRIQVEZ
GVSMANNI, COMITIS FONTANI, BELGICÆ
GVBERNATORIS, ET MILITIÆ
SVMMI PRÆFECTI,

RES MAGNÆ SVSCEPTÆ PATRATÆQVE SVNT,
PAVCORVM MENSIVM SPATIO.
HVVVENSE OPIDVM ET ARX RECEPTA,
ET SOCIO PRINCIPI REDDITA.
CASTELLETVM PARITER VETVS ET OPPORTVNA
MVNITIO CAPTA.
ITEMQVE ARX ET OPIDVM DORLENTIVM,
SITV COMMODVM ET OPERE MVNITVM
PROPVGNACVLVM,
QVOD NVLLA VIS ANTE CEPERAT, PAVCIS HORIS
OPPVGNANDO IN POTESTATEM REDACTVM:
IDQVE CVM TVERENTVR ∞ ∞. ıɔ. PRÆSIDIARII;
QVI OMNES IMPETV CÆSI AVT CAPTI,
PAVCIS E REGIO EXERCITV AMISSIS.
SED ET ANTEA LECTISSIMVS GALLORVM
EXERCITVS, EQVITES PEDITESQVE,

CVM

CVM SVPPETIAS OBSESSIS VENIRENT,
FVSI FVGATIQVE SVNT:
MVLTI NOBILIVM PICARDIÆ ET
NORMANDIÆ CÆSI,
INTERQVE EOS PROVINCIÆ HVIVS
ET MARIS IPSE PRÆFECTVS.
DENIQVE CAMERACVM VRBS ET ARX
DIV NOBILIS, PRÆSIDIVM AVT TERROR PARTIVM,
OBSESSA, CLAVSA, OPPVGNATA EST
CONTRA MAGNAS HOSTIVM VIRES,
APPARATV MODICO
SED VIRTVTE, PRVDENTIA, CONSTANTIA SVMMA,
SERVATA RIGIDE DISCIPLINA MILITIÆ,
DVCVM ET MILITVM ALACRITATE ET CONSENSV.
QVIBVS FRACTI HOSTES, PRIMO VRBE,
MOX ARCE CESSERVNT,
ANNO CHRISTIANO ∞. IƆ. XCV.
MENSE OCTOBRI.
OB HÆC MIRANDA, ET AD QVÆ LIVOR STVPEAT,
TIBI DEVS, REX, COMES
GLORIA, LAVS, MEMORIA.

CENSVRA.

VINDICIÆ istæ ab E. PVTEANO Latinitate donatæ, nihil continent, quod aut fidei, aut pietati Catholicæ, quoquo modo repugnet, sed ea potius, quæ & Hispanorum & peregrinantium deuotionem magis excitent inflamméntque vehementiùs; vt isto quoque modo adimpleatur quod dictum est per Prophetam: *Vultu in terram demisso adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent*, rumpantur licet invidia cum suo Eunomio novi Vigilantiani. 4. Ianuar. 1608.

GVILIELMVS FABRICIVS
Nouiomagus, Apostolicus & Archiducalis librorum Censor.

Cum Privilegio Serenissimorum Belgij PRINCIPVM ad Decennium.

I. Fourdin.

REGNO
CASTELLAE,
COMITIIS
CVRIATIS.

QVOD à Majoribus traditum accepimus, D. Tutelarem IACOBVM APOSTOLVM IN *Hispaniam quondam* VENISSE, *facémque Fidei intulisse; id nunc gemino isto Libro velut manu adsertum vobis reddo, Ampliss. Proceres. Libro, qui piorum prudentiúmque virorum suffragijs fulcitur. Plura certè dici poterant, & pauciora sat esse, in re tam validè firmatâ, quàm inaniter suggilatâ. Ac profectò gravi nos injuriâ onerant (utinam aliquo Ecclesiæ Catholicæ fructu!) qui nunc demùm Traditionem antiquissimam convulsum eunt: scilicet, honestam imò Christianam istam, quam cum lacte materno liberi nostri imbibunt,*

 ambi-

ambitionem repressuri. Deus meliora! Nunc pietatis ipsa necessitas (CASTELLAM, reliquorum Hispaniæ Regnorum velut Matrem, urget, Matrem esse, & pro animi ardore se objicere istis supervacaneè curiosis; Objiciet autem, si Patrem suum ac Ducem arctissimè complexa, summâ ope reluctetur, ne quem complexa, avelli sinat, aut è solo, quasi Patrio abripi, ubi divino consilio insertus, altissimas egit radices: vivens concionibus, moriens exuviis, dein miraculis; dum visus sæpiùs (uti admiranda docent monumenta) vim & impetum Maurorum stricto gladio propulsare. Quidam sunt (cordati etiam, si Diis placet, à nonnemine vocitati) qui politicã censent prudentiam, nemini unquam refragari: nequem scilicet inimicent. Facilè id quidem factu, ubi animum inducas cedere. Sed tam isti à Virtutis laude absunt, quàm refractarii ipsi atque contumaces: imò verò deterioris sunt animi atque consilii.

Putant

Putant igitur bene ſatis nobiſcum agi, ſi per Diſcipulos Apoſtoli, imbutam Religione Hiſpaniam, ſacrúmque in eâ corporis theſaurum conditum eſſe *indulgeant: ceterùm, an ipſe* vivens prouinciam Peragraverit, Docueritque, *de eo minimè laborandum. Verumenimverò, nemo ſanus id ſentiat, qui vir ſit, probéque calleat, quanti ad Pietatem opinio, ad Religionem pietas momenti ſit. Neque hoc ſibi perſuaderi patientur veri Hiſpani, quibus vitâ ipsâ carius eſt, ſolum Apoſtolico veſtigio preſſum identidem oſculari: cujus meritò quidem in ſpinas tribulóſque abeant fructus, ſi manus in cauſsâ tam iuſtâ demus. Haut ſcio, Proceres, majoríſne ponderis & ἀκολουθίας negotium hoc tempore ſe vobis offerat; aut in quo pietas magis veſtra eluceſcat, quàm ut ſupplici Majeſtatem Regiam voto habitúque obſecretis, ut*

 quem-

quemadmodum publica de tanto Monarchâ ſpes eſt, Patrem ſe Patriæ hac occaſione præſtet. Nihil enim aliud agitur, quàm ut ſacro ejus diademati decus primarium, Hiſpaniæ tutiſſimum propugnaculum, nobis denique ipſis bonum præſidiúmque omne auferatur: unde magnus univerſæ gentis mœror, & ingentia alia incommoda ſcaturiant. Deus incolumes vos ſervet. Vallisoleti, Eidibus Ianuarijs ∞. IↃC. VI.

IO. VELASQVIVS
Comes-Stabuli.

HISPA-

HISPANIARVM

VINDICIAE TVTELARES.

LIBER I.

QVEM præcipuè cultum ac reverentiam viri magni, dum vivunt, mereantur, fati arbitrio elucescit; cùm functorum memoriam provinciæ populíque postumâ curâ investigant, quo quisque loco natus sit, ubi habitaverit, docuerit, aut sui vestigium aliquod ceu impressum reliquerit. *Mouemur*, ait T. Pomponius Atticus, *nescio quo pacto locis ipsis, in quibus eorum, quos diligimus, aut admiramur, adsunt vestigia. Me quidem illæ ipsæ nostræ Athenæ non tam operibus magnificis, exquisitísque antiquorum artibus delectant, quàm recordatione summorum virorum, ubi quisque habitare, ubi sedere, ubi disputare sit solitus, studioséque eorum sepulchra contemplor*. Et clarus ille S. Ioannes Chrysostomus sermone IIX. in Epistolam S. Pauli ad Romanos: *Ego & Romam propterea diligo, tametsi aliunde queam illam laudare, nempe à magnitudine, ab Imperio, à diuitijs, & à rebus in bello fortiter gestis: sed dimittens omnia, ob id illam beatam prædico, quòd erga illos Paulus, dum viveret, adeò fuit benevolus, adeò illos amavit, & coram disseruit*, &c. *Cuius sanctum corpus ipsi possident, & propterea Ciuitas illa hinc facta est insignis magis, quàm ab alijs rebus omnibus*, &c. Hæc omnia proculdubiò, Auctor ille verè & adpositè etiam de Hispaniæ hisce Regnis proferre poterat, atque adeò protulisset, oc-

casio

casio modo fuisset sermonis. Regnis omnium sanè quotquot in Europâ (vel ipsâ fatente invidiâ) felicissimis: à magnitudine & potentiâ, ab antiquitate & opibus, à rebus in bello suprà quàm credi potest fortiter gestis: maximè verò à venerandâ inclyti Apostoli TVTELARIS sui memoriâ, cujus sermonibus & colloquijs olim Majores nostri perfruiti, cujus doctrinâ ad Christi cultum conversi, in Ecclesiam adoptati; imò cujus etiam extincti curâ defensi ac protecti. Res manifesta. Nam in sanctum patrocinij pignus, amorísque testimonium, corpus suum Hierosolymis conditum transferri in Hispaniam, ac restitui nobis divinitùs ipse voluit (summâ quidem hucusque gloriâ possessum, pietate cultum;) ut quemadmodum Asia Ioanne Apostolo IACOBI fratre; sic Hispania ipso IACOBO Tutelari gloriaretur. Id in Breviario quodam vetustissimo Toletano non obliquè signatur:

Regens Ioannes dextrâ solus Asiam,
Et læuâ frater positus Hispaniam.

S. Irenæus, qui Apostolorum ætati vicinus, plurima suo tempore erecta in Hispaniâ tradit, & dicata Christo templa. Et Tertullianus, qui circa Irenæi ævum floruit, fines jam tum omnes Hispaniæ sparso Fidei lumine perfusos. Cujus rei caussam Pamelius & Feuardentius, viri graves, qui Irenæum & Tertullianum illustrarunt, Doctrinæ D. IACOBI adscribunt. Rectè; cùm tantæ molis negotium brevissimo temporis spatio, operâ ac ministerio Apostoli tam eximij Deus perfecerit. TRADITIO constans est, & ab ipsis Ecclesiæ primitivæ exordijs derivata, Sanctissimum hunc Evangelij Præconem Hierosolymis in Hispaniam venisse, atque hinc postliminiò ad sacram urbem reversum, ubi palma eum Martyrij manebat. Omnes Respublicæ & cœtus jure sociati conservare

rerum

rerum antiquarum memoriam non modò ſcriptis Annalibus, ſed Traditionibus antiquis ſolent, id eſt Hiſtorijs non ſcriptis, quæ inde à vetuſtiſſimis temporibus, continuâ quadam memoriæ ſerie ad poſteritatem propagantur. *Ecce nos*, inquit S. Athanaſius, *demonſtramus, iſtiuſmodi ſententiam de Patribus ad Patres, quaſi per manus traditam eſſe:* Quid miramur? Iuſtitia ipſa pari diſcrimine, non ſolùm iure Scripto; ſed etiam non ſcripto in gentes populóſque diſtributa eſt. Traditio autem Hiſtoriâ prior fuit; uti ſermo Scripturâ. *Certè*, ſcribit Tertullianus, *prior anima quàm littera, & prior ſermo quàm liber, & prior ſenſus quàm ſtilus*; Omninò. Scribere enim nemo poteſt, niſi priùs audierit quæ ſcribat: *Vt meritò* (ſubſcribendum enim Philoni eſt) *quis dicere poſſit, leges ſcriptas nihil aliud eſſe quàm vitarum Patrum commentarios, in quibus eorum dicta, factáve narrantur.* Certum, Hiſtorias pleraſque, quæ de rebus antiquis conceptæ ſunt, quæque fidem omni ævo apud prudentiores meruerunt, magnâ ex parte Traditionibus conſtare. Nam ſi ea dumtaxat quæ viſa mortalibus ſunt, Hiſtoria contineat, anguſtis admodùm limitibus claudatur; haut aliter, quàm ſi ea ſolùm, quæ ſcripta. Illud tantùm in tali ſyntagmate viro docto atque Catholico præſtandum eſt, nequid in medium proferat, quod aut probari non poſſit, aut ràtio ipſa temporum non ſuſtineat.

Ab omni igitur memoriâ perpetuo conſenſu traditum eſt, IACOBVM ZEBEDÆVM *Veniſſe in Hiſpaniam, & Evangelij facem intuliſſe.* quando autem Venerit, expreſſum liquidè non eſt: ſed temporum nullâ ratione impeditum fuiſſe, id verò in aperto eſt. Totum enim decennium dari itineri potuit, quo nimirum intervallo Stephani martyrium ſuo ipſe ſecutus eſt, anno ſecundo Claudij Imperatoris, ipſo

b Claudio

Claudio ſecundùm, & C. Licinio Largo Coſſ. Et ut planè Adventus iſte liqueat, nec mortis ſive martyrij tranſverſo velut calculo Antiquiſſimam Traditionem poſſe expungi; animadvertendum eſt, eumdem annum eoſdémque dies (uti in Actis Apoſtolorum legitur, ac deinceps dicetur) IACOBI Martyrio inſigniri; quibus Hieroſolymis conjectus in carcerem S. Petrus. Illud enim præmittendum, quod de ætate Chriſti Lucas cap. III. Evangelij ſui refert: *Erat quaſi annis triginta* (nimirum quinctodecimo Imperij Tiberij Cæſaris) quando venit, ut Baptizaretur in Iordane. Mortuus verò eſt, tertio aut quarto pòſt anno, qui fuit Tiberij decimusoctavus ſive decimusnonus, Gemino Rubellio & Gemino Fuſio Coſſ. Ab hoc anno ad ultimum Neronis, quo adfectus martyrio Petrus, intervallum annorum fuit triginta ſex, aut triginta ſeptem. Ex his primum ille quinquennium in Iudæâ, ſeptennium deinde Epiſcopus Antiochiæ, quod reliquum fuit temporis Romæ in ſacro faſtigio tranſegit. Clarum id quidem. Nam primo poſt Aſcenſionem anno Fidei lumine donatus eſt Paulus; atque ſcribit ipſe Epiſtolâ ad Galatas: *Poſt annos tres veni Hieroſolymam videre Petrum, & manſi apud eum diebus quindecim.* His tranſactis, Petrus Lyddam profectus eſt, & inibi Æneam Paralyticum ſanavit; Lyddâ Joppen, ubi Tabitham jam extinctam ad vitam revocavit, ut in Actis cap. IX. videre eſt: paullò pòſt Cæſaréam, accerſitus à Cornelio Centurione; atque inde Hieroſolymam mox reverſus, ut eadem Acta cap. X. & XI. teſtantur. Atque in hunc modum D. Petrus quattuor primos ſive quinque annos confecit: tametſi à Clemente, lib. I. atque etiam ultimo Recognitionum, ſeptem fuiſſe tradantur. Deinde Antiochiam venit, ibique ſummæ Auctoritatis ſedem po-

ſuit.

fuit. quo quidem tempore CHRISTIANI vocari cœperunt, qui Evangelij doctrinâ imbuti erant. Interea verò, dum Ecclesiæ dignitas incrementum apud Antiochenos sumit, Petrus Pontum, Galatiam, Cappadociam, Bithyniam, reliquásque provincias ab ipsomet I. Canonicâ recensitas, concionando peragravit. Tunc etiam evênit, quod (uti Acta notant cap. XI.) *Agabus significârat per Spiritum: famem magnam futuram in universo orbe terrarum, quæ facta est sub Claudio.* Et missi ab Antiochenis Paulus & Barnabas, qui *habitantibus in Iudeâ Fratribus* opportunâ ope, sive ministerio subvenirent. *Eodem autem tempore* (verba è capite XII. sunt) *misit Herodes Rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesiâ. Occidit autem* IACOBVM *fratrem Ioannis gladio. Videns autem quia placeret Iudæis, apposuit ut apprehenderet & Petrum: quem cùm apprehendisset, misit in carcerem.* Itaque ex Historiâ sacrâ manifestum est, Petrum, post Cathedram Antiochenam, erectúmque inibi vexillum atque nomen Christi, in vincula demùm conjectum; evasisse autem, jam Claudio ad Imperium evecto, cùm fames ab Agabo prædicta sæviret. Tunc enim Paulus & Barnabas, completo caritatis ministerio, Hierosolymis profecti sunt. Interea dum hæc geruntur decem undecimve anni hautdubiè effluxêre: cùm sacra Historia excessisse tunc temporis ex urbe sacrâ Petrum commemoret; quem inde mox, exacto annorum calculo inducti, fateri cogimur Romam profectum, & in theatro illo orbis Apostolicæ auctoritatis sedem sacríque imperij habitaculum fixisse; ubi annos XXV. id est reliquum vitæ absolvit, Martyriíque, anno ultimo Neronis, communem cum Paulo Apostolo palmam adeptus est. Itaque cùm ad certum & exploratum temporis punctum mortem magni TVTELARIS nostri redu-

xerimus; illud inquam ipsum, quo in carcerem missus Petrus: verti in controversiam ejusdem in Hispaniam Adventus nequaquam potest, quasi tempus defuerit; cùm superfuisse potiùs, jam ostensum. Quinetiam longiùs extendere calculum liceat, si opinionem eorum amplectamur, qui famem Agabi in nonum Imperij Claudiani annum, id est Christi quinquagesimum rejiciunt. Sed amplum satis hoc spatium, tam magnis ac luculentis testimonijs firmatum: quibus tamen, velut novum pondus, auctoritas Leonis III. accedet, ex epistolâ quam Calixtus II. refert, lib. III. Verba Leonis sunt: *Ab ipsa passione Christi in revolutione anni undecimi, tempore azymorum, Beatissimus* IACOBVS *Apostolus, iussu Herodis capite plexus est.* Et Genebrardi lib. II. anno Christi XLIII. *Exacto septennio post mortem Christi, duodecim Apostoli ascenderunt Hierosolymam (Clemens lib. I. Historiæ) nam* IACOBVS *frater Ioannis adhuc erat in viuis; quippe non tertio anno à morte Christi occisus, sed ut minimum decimo,* &c. Ita quidem, ut in examine hoc ADVENTVS nihil planè reperiatur, quod exactæ temporum rationi obsistat. Ac tametsi, quod ad Prædicationis effectum attinet, & sparsi Evangelij proventum; quorumdam Auctorum opinio est, novem dumtaxat homines aliquos à Gentili errore revocatos: reverà tamen, ut Calixtus Pontifex refert, plurimi fuêre. Atque id exemplo aliorum Apostolorum, ceu firmissimo argumento fidem inveniat: qui, uti in sacris Actis legimus, ubicumque Christum prædicabant, paucorum dierum spatio, non solùm civitates, sed totas etiam provincias, & regna Ecclesiæ adjecerunt. Philippus quidem *Gentem Samariæ.* Petrus primo sermone *Animarum circiter tria millia:* ídque in urbe Hierosolymorum, id est inter hostes ipsos Christi atque Fidei. Deinde,

inde, iterum ad populum verba faciens, *Virorum quasi quinque millia.* Atque isto incremento plerique Apostolorum Evangelij fructum provexerunt. Ceterùm, quæ ratio persuadeat, cùm Divinâ quadam sorte Hispaniæ regna IACOBO obtigerint, cúmque ductu & impulsu Spiritus sancti huc advenerit, ille nomine & reipsâ *Boanerges*, id est Filius Tonitrui, qui magnâ vi oris & eloquij, velut sancto fragore, in orbe terrarum audiendus erat; quæ inquam ratio persuadeat, tam infelici pietatis proventu, septem sive duodecim aliquos è tanto agro, à tanto Agricolâ in horreum Ecclesiæ translatos? tantis præsertim, támque luculentis editis miraculis, quibus, ut Anastasius Patriarcha Antiochenus scribit, intuentium animi attoniti & obstupefacti tenebantur. Itaque Scriptores, qui Septenarium sive Duodenarium numerum referunt, de præcipuis Apostolorum Discipulis intelligendi & Sectatoribus. Hi enim viventis quócumque vestigia secuti, mox in munus etiam extincti succedentes, Hispaniam repetierunt, facti à Petro Episcopi, & velut ad relictum Evangelij opus missi, ut Religionis colligerent satam à Magistro messem. Calixtus Pontifex epistolam illam Leonis laudans, nonnullos nominat. Sed Hieronymus in Martyrologio, Viuardus, Beda, Ado, S. Vincentius, Abbas Maurolycus, Ambrosius de Morales, & Petrus de Natalibus, aliíque, septem IACOBI Discipulos recensent: *Torquatum, Indaletium, Hesychium, Ctesiphontem, Secundum, Cæcilium, Euphrasium*. Calixtus, *Theodorum*, & *Athanasium* addit. atque hunc Episcopum Cæsaraugustanum legimus: illum, Presbyterum in æde D. VIRGINIS *De Pilari*. D. Hieronymus, & reliqui illi, communiter Septem dumtaxat referunt: cui numero subscribit etiam Gregorius VII. Pontifex Maximus, epistolâ quadam sui Regesti, *Ad*

Alphonsum & Sancium Reges Hispaniæ. Ait enim à Petro septem missos Episcopos, qui Hispaniæ populos sacræ Fidei doctrinâ instruerent. Atque hos eosdem è Discipulis atque Sectatoribus APOSTOLI fuisse, verisimile est: sed Doctori suo superstites, cùm ad Petrum, tamquam Ecclesiæ caput accessissent (quod de Paulo, aliísque legimus) creatos Episcopos, & in Hispaniam remissos. Martyrologium Romanum ipsa Martyrij loca distinctè signat, in hunc modum: Torquatus *Acci*, Ctesiphon *Vergij*, Secundus *Abulæ*, Indaletius *Vrci*, Cæcilius *Illiberi*, Hesychius *Cartheiæ*, Euphrasius *Illiturgi*. Nostri Scriptores cõmuniter Accum, Vergium, Vrcum, Abulam, Illiturgum, explicant: *Guadix, Verja, Avila, Almeria, Anduxar*. Atque Olea quæ in opido Acci, item Basilica S. Euphrasij in opido Illiturgi tacito suffragio interpretationem istam firmant. De *Carthesa*, sive *Carzesa*, sive *Cartheja* minùs convenit. Minùs etiam, an hisce in locis Martyres isti dumtaxat docuerint, an etiam occubuerint; atque etiam an humati sint. Pelagius Episcopus Ovetensis, in Chronicis Hispaniarum, conversos ad Christum Apostoli Discipulos enumerat, Calizerum, Basilium, Chrysogonum, Protheodorum, Maximum, Athanasium. Pelagio plura Antiquitatis monumenta consentiunt. Et quamvis in opidorum nominibus quædam sæpè varietas (sollemne ac necessarium vetustatis deliquium:) mirum tamen quàm Martyres isti parem purámque apud Scriptores & nostrates, & exteros Historiam (cur non & Fidem?) inveniant. Plurima sanè & annis veneranda memoriæ signa in Castellâ, Aragoniâ, Portugalliâ; sed publica & in oculis sunt, quæ rem & veritatem extra nubem omnem ponunt. Visuntur templa, Martyribus his sacra; leguntur Breviaria & Homiliæ, in quibus mentio & commemora-

tio expressa. Eminet tamen, ad fidem faciendam, insignis & admiranda Cæsaraugustana Ædis D. VIRGINIS *De Pilari*. De cujus fundatione Gaubertus, Petrus Naya, Martinus Garcia, Ioannes Vasæus, Lucius Marinæus Siculus, Ambrosius de Morales, Garibay, Pineda, F. Hieronymus Romanus, Villegas, Alphonsus de Mendoça, Hieronymus Blancas, Doctor Ioannes de Hortigas, Michael Andreas, Bertendorpius, Petrus Canisius, Morlanes, & alij à Doctore Petro Zenedo enumerati. Sed compendij caussâ, sine historiæ damno, pauca Calixti III. verba produxisse abundè erit, è Diplomate quodam Pontificio, templo huic Româ misso, Kalendis Octobris, anni ∞. CCCC. LVI. *Cùm itaque, sicut accepimus, Ecclesia Monasterij per Priorem solita gubernari, eiusdem sanctæ Mariæ de Pilari nuncupatæ, Ciuitatis Cæsaraugustanæ, Ordinis sancti Augustini, inter ceteras sub vocabulo dictæ B. Mariæ Ecclesias, prima Beatæ Mariæ de Pilari nuncupata fore noscatur: in quâ dicta Beata Maria antequam ad cælos assumeretur cum* IESV CHRISTO *Filio suo & Domino nostro, Beato* IACOBO *Majori, in Columnâ marmoreâ apparuit, & ob hoc ipsa Ecclesia nomen Beatæ Mariæ de Pilari assumpsit: ac inibi quàmplurima & infinita miracula dietim fiunt, necnon Christi fideles cum magnâ deuotione, & veneratione imaginem ejusdem B. Mariæ, & ejus filij, in quadam Capellâ ipsius Ecclesiæ, quæ de mandato dictæ B. Mariæ per dictum B.* IACOBVM *fabricata est, & Camera Angelica Dei Genitricis de Pilari nuncupata, & appellata existit, colunt, & venerantur, ac cùm magnâ deuotione visitare non cessant.* Atque istis Calixti verbis plurima alia Diplomata paria sunt, à veteribus Aragoniæ Regibus piè liberalitérque eidem templo data. Quin ipsa fundationis Historia (firmum auctoritatis fulcrum quo nitamur) in celeberrimo illo exemplari Moralium

lium S. Gregorij, manu-exarata legitur: quod Taxus Episcopus Decreto Concilij Toletani Septimi Româ transtulit, Anno ІↃC. XLVII. quódque hodie in templi Bibliothecâ adservatur. Liber antiquissimus est & in duo volumina divisus. Papyrus miræ magnitudinis, inventio ipsa mira: de quâ Martinus Garcia Episcopus Barcinonensis, Antonius Beuterus, aliíque. Dignum sanè fide hoc testimonium, sive pretium librorum, sive antiquitatem spectamus; venerandi quidem, etsi non extremi ævi. Advocanda igitur ab ulteriore memoriæ limite litterarum auctoritas est: ab Athanasio Patriarchâ Antiocheno, id est Anno ІↃ. LX. Scribit ille: *In hac die, multiplicibus Martyrijs affectus est D.* IACOBVS *Apostolus frater Ioannis filij Zebedæi: idque postquam abijt in Occidentem in Ciuitatem Andiat, & fecit apud eos miracula, quæ homines attoniti stupebant, ita quòd converterit eos in cognitionem fidei Dei excelsi. Tum reversus in multas Ciuitates Palæstinæ, prædicavit apud eos Euangelium Christi.* Arabicè liber iste scriptus, & proculdubiò, Hispaniam per *Occidentem* Auctor intellexit. Sed referamus nunc gradum. S. Isidorus, qui anno ІↃC. XXX. scripsit, libro de Vitâ & Morte Sanctorum Patrum, clarè & distinctè Apostoli in Hispaniam Adventum expressit. Expressit item S. Braulius Episcopus Cæsaraugustanus, decennio pòst, Præfatione quæ de Vitâ S. Isidori, libris ejus Etymologiῶn, in Antiquis Editionibus præfixa est: *Nam sicut Gregorius Doctor Romæ successit Petro, ita B. Isidorus in Hispaniarum partibus doctrinâ* IACOBO *successit Apostolo: semina namque vitæ æternæ, quæ Beatissimus* IACOBVS *seminavit & reliquit, hæc Doctissimus Doctor Isidorus verbo prædicationis quasi vnus è quatuor Paradysi fluminibus sufficienter irrigavit.* Quod Isidorus de hoc Adventu, etiam Beda ijsdem pænè verbis refert: atque eodem

eodem in Martyrologio Eidibus Maii, Diſcipulos ipſos Apoſtoli, ejúſque docendi munus, & Martyrium exprimit. Scripſit autem Beda anno ıↄCC. XXXIV. & quadrageſimo poſt Bedam Vſuardus ejuſdem ſententiæ aſſertor in Martyrologio, Kalendis Maii. Sexageſimo poſt Vſuardum (qui Chriſti ıↄCCC. XXXIV.) Turpinus Archiepiſcopus Rhemenſis, in hæc verba: *Glorioſiſſimus namque Chriſti Apoſtolus* IACOBVS, *aliis Apoſtolis, & Dominicis Diſcipulis diverſa coſmi climata adeuntibus, ut fertur, primitus Gallæciam prædicavit. Deinde eius Apoſtolico corpore ab Herode Rege perempto, ſalvo à Hieroſolymis, uſque ad Gallæciam per mare tranſlato, eandem Gallæciam diſcipuli ejus prædicaverunt.* Calixtus II. tractatum confecit *De Miraculis & Tranſlatione S.* IACOBI. item Sermones nonnullos in Pervigilium ejus Diémque Feſtum: atque hoc libro Adventus Apoſtoli, ejuſdémque ac ſimul Diſcipulorum doctrina, atque martyrium non ſemel laudatur. Quingenti ferè anni ſunt, cùm Calixtus ſcripſit, id eſt à recenti ſatis memoriâ: verùm ſententiam ſuam altiore auctoritate munit, partim verbis Leonis III. qui trecentis annis prior, partim Euſebij Martyrologio, cujus etiam epitomen brevi ambitu Hieronymus dedit, & ipſe prior. Poſtremò Doctores Bartholomæus Laurentius, & Petrus Zenedus, uterque Canonicus D. Virginis Cæſarauguſtanæ, ampliùs ſeptuaginta nobis ſcriptores à mille retrò annis producunt, qui uno ore ſuffragióque Adventum Apoſtoli adſtruunt. In his quattuor Pontifices, duodecim tredecímve, Epiſcopi, Archiepiſcopi, Cardinales; & ſeptem octóve è Sanctorum Albo. reliqui, Hiſtorici graviſſimi, quorum ſuâ quiſque ætate maximus, & plenâ fide apud omnes acceptus. Quia verò fas in re tam antiquâ auctorum non impreſſorum modò, ſed manu

etiam Scriptorum teſtimonio niti, addo S. Hippolytum Epiſcopum Porticenſem, auctorem planè pium veterémque (floruit enim circa tempora Clementis Alexandrini atque Tertulliani,) qui libro *De Vitis Apoſtolorum & eorum prædicatione*, ſcriptum reliquit, S. IACOBVM *in Hiſpaniâ Evangelium prædicaſſe*. Liber Græcè ſcriptus; in Bibliothecâ Cardinalis Syrleti, ac deinde in Cardinalis Silvij Antoniani fuit, qui in ſchedulâ quadam ad Ducem de Seſsâ, ſuum ſuâ manu teſtatus eſt. Adjungo etiam Dexterum, auctorem gravem pariter & antiquum, &, ut quorumdam fert opinio, filium S. Paciani Epiſcopi Barcinonenſis. is libro quem de omnimodâ Hiſtoriâ conſcripſit, ait: *Anno* XLII. IACOBVS *Sanctus Apoſtolus, Zebedæi filius, multis peragratis Hiſpaniæ Vrbibus, & Eccleſijs erectis, Epiſcopíſque creatis, Petrum Braccaræ reliquit primum Epiſcopum*. Vertit hunc librum P. Hieronymus Romanus Higuera, Societatis IESV, Vir multæ eruditionis & ſanctitatis, è Codice manuſcripto antiquo, quem in Germaniâ, in Monaſterio Guldenſi invenerat. Item adjicio Abbatem Matthæum de *Burio*, qui inter ceteras templi Braccarenſis antiquitates, inventum etiam Braccarenſe Concilium teſtatur; in eóque expreſsè ſcriptum, à IACOBO Apoſtolo, Petrum Diſcipulum ejus, præfectum huic Eccleſiæ, primúmque Epiſcopum exſtitiſſe. Silentio nunc quidem Breviarium, quod nomine S. Ambroſij circumfertur, prætermitto, ubi Lectione de D. IACOBO diſtincta verba ſunt: *Mox Hiſpaniam profectus, ibíque diſſeminatâ Chriſtianâ religione, reverſus eſt Hieroſolymam*; Prætermitto inquam; cùm plura ſuperiùs Breviaria citata & adducta ſint. Vetus illud Scriptorum agmen, in eamdem ſententiam ſequuntur, Garcia de Loaysâ Archiepiſcopus Toletanus, Don Fernandus de Mendoça,

libro

libro quem de Concilio Illiberitano composuit, aliíque plures: omnes, ut piâ & Historicâ tesserâ adsertum eant hanc Traditionem. Sed quid si præter tam multos támque luculentæ & antiquæ notæ Scriptores luculẽtiores alij & antiquiores, quid si ab ipsis Apostoli temporibus è secreto & abdito aliquo archivo prodeant, &, ceu testes oculati, signatam liquidissimâ veritate sententiam promant? an quis bonæ mentis in dubium vocare Apostoli Adventum ausit, & stolido sensu universæ antiquitatis testimonio reniti? Certè in tempore vota nostra respexit Deus, & admirando eventu Reliquias Laminásque *Montis Sancti* Granatensis è tenebris & oblivione in lucem memoriámque excussit. quas (nequis fraudem aut fucum suspicetur) Reverendissimus D. Petrus Vaca De Castro, ejusdem Civitatis Archiepiscopus, sollenniter approbavit, & expresso Diplomate, atque auctoritate Pontificis Clementis Octavi munitas promulgavit; non sine præsenti consilio auxilióque aliorum Antistitum, hominúmque doctorum & piorum: cùm priùs insigni prudentiâ & curâ, quæcumque in simili negotio inquiri & produci solent, quæque Sacris Concilijs, maximè Tridentino præscripta sunt, sedulò examinasset. Atque Laminæ istæ, librorum, qui unà inventi, Catalogum repræsentant: ipsi libri Arabicè, antiquissimo idiomate scripti, clarè & expresè Venisse in Hispaniam IACOBVM Apostolum, facémque Fidei intulisse testantur. Etiam ampliùs? Vnus ab ipsâ mente & manu quoque Apostoli est; & esse ipse ait; atque adeò Hispaniæ à se Regnis exaratum ac relictum. Itaque amplius mille quingentos triginta annos in Archivo hoc turris Turpianæ, sive specu Montis Sancti, tam luculenta ADVENTVS Apostolici tessera, non sine divinâ quadam providentiâ, occultata; & nunc tandem

tandem producta fuit, planè opportuno & ipso necessitatis articulo; ut veterum beneficiorum memoria renovaretur, quibus olim sibi Hispaniam Apostolus devinxit, cùm laboranti succurreret, pugnanti appareret, in prælijs adversus infideles præsens, in periculis adjutor. Flocci est, quod curiosus quis objiciat, Laminas quidem, uti dictum est, receptas esse, non item libros: imò verò inveniri viros doctos, qui excerpta quædam notis censurísque dispunxerunt. Flocci inquam est: nam profectò Notæ eæ insigni curâ atque assiduitate Archiepiscopi Don Petri Vaca De Castro, à Viris & Arabicè ad summum doctis (hoc enim idiomate libri scripti) & Theologiæ altissimâ eruditione imbutis, & reliquarum scientiarum supellectile instructis, examinatæ & censæ sunt, quorum securum judicium, habeatur sententia recta. nec in libris quidquam notatum, quod ullo doctrinæ intellectu vacillet. Atque illi qui diversum sentiebant, hospites quodammodò in Arabicâ istâ Dialecto atque peregrini inventi sunt. Tamen, utut est, nemo inficias it, aut ire potest, quin ejusdem aut altioris etiam cum Laminis Antiquitatis libri sint, cùm in illis hi citentur. Neque in re præsenti necessum est; ut tamquam libri Canonici censeantur: hoc dumtaxat, ut Antiquitatem præferant; & unà testimonium Apostolici Adventus ac Doctrinæ. Quòd si etiam profana tantummodo hîc Historia legatur, & res cum Mauris gestæ; pondus tamen Auctoritas habeat ab Antiquitate. Magis nunc igitur, cùm & Historia sacra sit, & Res sive Reliquiæ Sacræ; quæ Religioni firmandæ in hæc Regna invectæ, atque adeò in specum istam ab Apostolo ipso Discipulísque (qui jam tum divinâ quadam aurâ necessitatem hanc præsagiebant) conditæ; ut opportuno divinitùs tempore promptæ, non solùm in perenni

renni Traditione pietatem nostram; sed in Religione ipsâ instituta gravissima, & arcana confirmarent. Arcana inquam, quæ tantâ curâ, támque insolenti & impendiosâ industriâ adservari, Libris Laminísque inscribi plumbeis, charactere & idiomate adeò peregrino debuerunt, quódque rei caput, abdi in loca tam opportuna, tam secreta, & secura; ne longâ annorum serie consumi possent, neu quis sani judicii rem adulterinam, aut minoris quàm libri ipsi loquuntur momenti suspicaretur. Ac tametsi in totâ testimoniorum serie, hoc istud decumanum & validissimum ad veritatem antiquissimæ Traditionis evincendam: tamen, ut omnis adversariorum conatus enervetur & cadat, deinceps obstructum argumentorum vallum diruendum est. Cujusmodi enim? Infirmum si inspiciamus, velatum potiùs conjecturis, quàm rationibus munitum; ut insequenti Libro reipsâ ostendemus.

HISPANIARVM VINDICIAE TVTELARES.

LIBER II.

NON minima ævi nostri macula est, quòd cùm Majorum pio consensu cultúque D. IACOBI in Hispaniam Adventus claruerit, mutatâ nunc demùm sorte, iniquis exterorum quorundã suffragijs infestetur. Nemo quidem se auctorem profitetur, aut in isto mustaceo laureolam quærit: sunt tamen nonnulli (quantum rumoribus percrebuit) qui universam hanc historiam conantur, ceu apocrypham, infamare: imò verò audaciæ protollunt gradum, & hoc agunt, uti verba ista è vitâ D. IACOBI: *Peragratâ Hispaniâ, ibíque prædicato Evangelio:* è Breviario Romano expungantur. Res profectò magni momenti, non solùm quia plurimùm novitate istâ Hispaniæ regna commovenda sunt; verùm etiam quia tot templa, aliáque illustria memoriæ huic antiquitùs dicata opera, splendore suo spolianda: non sine damno publico, aut saltem (ne extrema augurer) cum ingenti Pietatis detrimento, quâ Apostolus colitur. Baronius Cardinalis, in Annotationibus ad Martyrologium, Traditionem hanc defendit: iterúmque Tomo I. Annalium, scriptã semel sententiam amplectens, *Quod verò*, inquit, *ad ipsum* IACOBVM *pertinet, cùm Hispaniarum Ecclesiæ omnes ex æquo profiteantur, eumdem*

dem Apostolum Hispanias esse profectum, illicque primum prædicasse Evangelium, & aliquos collegisse Discipulos; nihil amplius quod de eâ re dicamus, habemus, quàm quæ sunt à nobis in Martyrologio Romano notata. Ac dignus hic certè pectore Christiano atque erudito adfectus Pietatis, quem hactenus quidem Traditioni & auctoritati omnium Hispaniæ Ecclesiarum se deferre vir magnus profitetur: magis etiam cùm eodem tomo Adventum Barnabæ Apostoli in Italiam enarrans scribit. *Verùm ipsum in Italiam venisse, & in Liguriâ prædicasse Evangelium, nobilissimámque Mediolanensium Ecclesiam erexisse, ac longè latéque fidem feliciter propagasse, firmæ traditiones, ejusdémque Ecclesiæ monumenta complurium testimonijs confirmata, fidem certam atque indubitatam faciunt.* Atqui, si Ecclesiæ Mediolanensis Traditio nullum (jure quidem & merito) de Adventu D. Barnabæ in Italiam relinquat dubitationi locum: planè & Traditiones memoriæque de Adventu D. IACOBI in Hispaniam (quæ omni jure pares sunt, ac deinceps referendæ) parem opinionis adsensum à Cardinali exspectent. Hic igitur tametsi Tomo IX. à prolatâ semel sententiâ deflectat; tamen rem totam ad calculos si revocaverit, desertam opinionem (ut de insigni pietate viri atque eruditione spes est) ceu veriorem resumet, sapientissimæ D. Ioannis Chrysostomi sententiæ subscripturus: *Traditio est: nihil quæras amplius.* Sed Argumenta aliorum videamus, qui minori prudentiâ atque adeò perturbato animo, caussam istam disputarunt. Proponenda rationum fundamenta, brevíque responsione enervanda sunt.

Ajunt igitur, non venisse in Hispaniam Apostolum, quia venire non potuit: atque adeò ejusmodi iter prodigiosum videri. Apostolos enim priusquàm segregarentur, ac provinciam quisque, in quâ Evangelij

fructum

fructum propagaret, ſortiretur, Hieroſolymis non diſceſſiſſe: ſortitos demùm anno à Natali Chriſti XLIV. Claudio Auguſto, & C. Licinio Largo Coſſ. quo anno Martyrii palmam IACOBVS adeptus eſt. Diſcedendi autem occaſionem Apoſtolis ab eodem Martyrio natam, cùm jam è carcere Petrus evaſiſſet, jámque premi perſecutione Eccleſia cœpiſſet: quemadmodum in Actis Apoſtolorum Sanctus auctor enarrat. Et Divus Chryſoſtomus hac occaſione effatur: *Apoſtoli prædicaverunt Iudæis, longóque temporis ſpatio cæſi, & flagellati in Iudæâ manentes, ac demùm ab ipſis propulſi, in Gentes abierunt*. IACOBVM igitur à ſortitione hac excluſum: quippe quæ poſt mortem ejus inſtituta.

Ampliùs etiam. Si enim poſt Apoſtolorum ſegregationem non venit: nec venire ante potuiſſe. Toto enim illo tempore, quod à Martyrio Stephani ad ſegregationem effluxit, duodecim Apoſtolos Hieroſolymis ſubſtitiſſe: ídque ex Actis facilè convinci. *Facta eſt illa die perſecutio magna in Eccleſiâ, quæ erat Hieroſolymis, & omnes diſperſi ſunt per regiones Iudeæ & Samariæ, præter Apoſtolos*. Confirmant hoc ipſum verbis Apollonij ab Euſebio citatis. *Apollonius*, inquit, *antiquus Theologus agens adverſus Cataphrygas, teſtatur, ſe traditione accepiſſe, Salvatorem mandatum dediſſe Apoſtolis, ne vſque ad duodecim annos Hieroſolymis diſcederent*; Nam iſto calculo ratio ſi initur, impleri duodecennale ſpatium non potuiſſe, niſi ſecundo à Martyrio IACOBI anno. Atque ſic prorsùs Apoſtoli in Hiſpaniam Adventum vero & fide carere.

Deinde, ne quidem, ſi hæc tam manifeſta amoliamur, adſeri Adventum, minùs etiam Prædicationem Apoſtoli poſſe: venire enim ſine dubio debuiſſe, uti Hiſpanis, qui tunc Gentiles, Evangelium annunciaret.

Id verò

Id verò quomodò ab Historiâ temporúmque illorum ratione extorqueas; cùm nefas tum etiam, salutis nuncio Gentiles impertire, Edicto, quod hac de re Apostoli acceperant, nondum sublato? Christianos enim Hierosolymis primâ crudelitate (quâ & Stephanus periit) pulsos, quócumque venerant, solis Iudæis Christum prædicasse. Id à Lucâ expressum, Actorum cap. XI. *Illi quidem qui dispersi fuerant à tribulatione, quæ facta fuerat sub Stephano, perambulaverunt usque ad Phœnicem, & Cyprum, & Antiochiam; nemini loquentes verbum, nisi solis Iudæis*. Quid? communem omnium sententiam esse, Cornelium Centurionem cohortis Italicæ, civem Romanum, primum è Gentibus sancto Fidei dogmate donatum; imò verò priusquàm Gentibus Ecclesiæ sinus panderetur, visiones atque mysteria præcessisse, quæ à Lucâ cap. x. descripta. Et sic tamen Petrum, cum baptizaturus Cornelium esset (ne impij exempli res videretur) facti sui rationem Fidelibus exposuisse: *Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus sanctus super omnes, qui audiebant verbum & obstupuerunt ex Circumcisione fideles, qui venerant cum Petro, quia & in Nationes gratia Spiritus sancti effusa est*. Hæc à Lucâ cap. x. scribi: & XI. ista: *Audierunt autem Apostoli, & fratres qui erant in Iudæâ, quoniam & Gentes receperunt verbum Dei. Cùm autem ascendisset Petrus Hierosolymam, disceptabant adversus illum, qui erant ex Circumcisione, dicentes: Quare introisti ad viros præputium habentes, & manducasti cum illis?* Cornelium posteà Episcopum Cæsaréæ fuisse; & quia primus Gentilium in Ecclesiam venit, non ipsum modò insignem, sed domum etiam fuisse; eámque divino posteà cultui dicatam. D. etiam Hieronymum scribere, exstitisse suo tempore, séque adiisse. Iam verò transitum istum Cornelii ad Christianos à Martyrio IACOBI non longè abfuisse,

fuisse, indicio Sacrorum Actorum, cap. XII. *Eodem autem tempore*. Itaque venire deinceps in Hispaniam non potuisse: priùs autem, neque credibile, neque verisimile videri. quî enim, Ecclesiæ aditu Gentilitati nondum patefacto?

Denique ne dici quidem posse, Hebræos in Hispaniâ res fidei à IACOBO doctos. Nam tum nullos fuisse; nec ante excidium Hierosolymitanum per alias gentes sparsos. Etsi enim post calamitatem illam quâ, tempore Sedechiæ Regis, concussi sunt, varia cum finitimis Regibus bella gesserint, funesto exitu; quippe rebus gravissimè attritis; quamvis victi & subjecti Romanis: nullâ tamen Antiquitatis memoriâ constare (Historicos sive Hebræos, sive exteros revolvamus) ejectos è Palæstinâ, pérque provincias exteras extorres ivisse. Atque ita quacumque ratione rem excusserimus, impeditum difficultatibus Adventum hunc haberi. Velut Corollarium, Auctoritatem Innocentij I. adnectunt: atque hunc epistolâ quadam ad Decentium scribere: *Præsertim cùm sit manifestum, in omnem Italiam, Galliam, Hispanias, Africam, atque Siciliam, Insulásque interiacentes nullum instituisse Ecclesiam, nisi eos, quos venerabilis Apostolus Petrus, aut eius successores constituerunt Sacerdotes. Aut legant si in his Provincijs alius Apostolorum invenitur, aut legitur instituisse. Quod si non legunt, quia nunquam inveniunt, oportet eos hoc sequi, quod Ecclesia Romana custodit*. Iam verò, Baronius Cardinalis, tomo IX. ortam in Concilio Lateranensi litem ait, de Primatu Hispaniarum: contendisse Archiepiscopum Toletanum, Rodericum Ximenez: renisum Compostellanum, sive S. Iacobi, & conatum geminâ sibi ratione vindicare: partim quia in suâ ditione atque templo corpus Apostoli esset; partim, quia Evangelium IACOBVS in Hispaniâ primus prædicasset.

Sed

Sed posteriori huic rationi Toletanum verba ista reposuisse: *Si inducat etiam Compostellanus Antistes, scilicet primam divini verbi promulgationem, & plurimorum conversionem ad fidem Christi in Hispaniâ per* IACOBVM *Apostolum factam, qui Divinam Paginam noverint, testimonium perhibeant. Ego tantùm legi, datam ei fuisse potestatem prædicandi in Hispaniâ: sed interim cùm per Iudæam & Samariam divinam legem seminaret, sub Herode Hierosolymis truncato capite exhalavit animam, & Domino reddidit. Quomodo ergo ibi prædicavit, quò nondum ingressus est? aut sine prædicatione, quos, obsecro, convertit ad Dominum?* Addit Cardinalis, se, tametsi à feminis religiosis id Toletanus acceperit, futile tamen responsum anteà censuisse & indignum fide: sed tanti deinde viri auctoritate motum (tum etiam quòd Archiepiscopus Compostellanus obmutuerit, quasi primatum cedens) priorem opinionem mutasse. Idem Cardinalis locos quosdam contrarios refellens, illos Calixti falsi postulat: & quâ occasione? quòd cùm Archiepiscopus Toletanus Compostellano exprobrasset, templum D. IACOBI novum, & ante annos tum C. IX. Sacrarium dumtaxat fuisse (illuc enim Metropolim Emeritæ-augustæ, quæ tunc temporis in potestate Maurorum erat, à Calixto Pontifice translatam, anno ∞. C. XXIV.) quòd inquam Compostellanus in silentium datus: quasi, siquem Adventus Apostolici adsertorem habuisset, nedum Calixtum; caussam suam hautdubiè auctoritate fuisset muniturus. nunc autem præmeditatum quidem; sed omni orationis præsidio destitutum venisse. Cardinalis etjam de reliquis auctoribus sententiam interponens, scribit: *Quin-etiam & sponte puto abstinuisse à citatione fabulosi Turpini (si tamen illo tempore commentitius ille liber perscriptus erat) vel à pseudo-Isidori sententia, vel*

quod falso asseritur nomine Bedæ, vel aliis quos assertores ejus sententiæ postea prodidere. Præterea locum Innocentii I. ad Eugubinum adfert suprà citatum; ex eóque liquidò constare ait, ante Innocentium nullam planè de Adventu Apostoli notitiam exstitisse: aut si exstiterit, dubiâ fide vacillasse. Tandem epistolam è Digesto Gregorii VII. promit, anno ∞. LXXIV. scriptam. Verba quæ expromit, ista: *Cùm Beatus Apostolus Paulus Hispaniam se adisse significet, ac postea septem Episcopos ab urbe Româ ad instituendos Hispaniæ populos à Petro & Paulo Apostolis directos fuisse, qui destructâ Idololatriâ, Christianitatem fundaverunt, Religionem plantaverunt, ordinem, & officium Diuinis cultibus agendis ostenderunt, & sanguine suo Ecclesias dedicavere, vestra diligentia non ignoret.* Et paullò post eaidem recenset: *Vnde enim non dubitatis vos suscepisse religionis exordium, rectè etiam ut inde recipiatis in Ecclesiastico ordine Diuinum officium, quod Innocentii Papæ ad Eugubinum directa Episcopum vox docet: quod Hormisdæ ad Hispalensem missa decreta insinuant: quod Toletanum, & Braccarense demonstrant.* Ac sic denique in illam sententiam transit, quam è scriniis archivísque Antiquitatis collectam scribit, & ex Actis magni Concilii Lateranensis.

Hæc argumentorum velut collectio & summa; quæ quidem erui, & acui in Apostoli Adventum potuêre. Responsio & repulsio brevis facilísque erit. nam, ut quæ hisce è locis nascuntur monstra, cadant; clavâ Herculis nihil opus.

Ac primò quidem quod ajunt, *Post discessionem Apostolorum venire* IACOBVM *non potuisse: factam enim esse cùm jam martyrio ille sublatus*: multifariam diluitur. Sumunt enim pro certo quod dubium atque controversum. Segregationem Apostolorum præfixo temporis limite præfiniunt: at quâ saltem auctoritate loci alicujus

cujus ſacri? quin ipſi Patres variè diſſentiunt. Beda in Acta Apoſtolorum ſcribens, opinionem Melitonis Epiſcopi Sardenſis refert, profectionem iſtam in ſecundum ab Aſcenſione Chriſti annum incidiſſe. Apollonius, ut Euſebius tradit, non in II. ſed in XII. tametſi hæc Apollonij ſententia, qui anno XLVI. Segregationem refert, verbis Marci manifeſtò convellitur, cap. XVI. ſub finem, ubi de Apoſtolis: *Illi autem prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis*. Marcus enim Evangelium ſuum conſcripſit anno XLV. loquitúrque velut de re jam tranſactâ: non ideò tamen tempus certum conſtituitur. Colligere verò licet ſegregationem annum XLV. quo Marcus ſcripſit, præceſſiſſe: ſed quanto temporis intervallo, ex Actis definiri non poteſt. Graviſſimorum quidem virorum judicium eſt, non ſorte, ut Socrates Hiſtoricus exiſtimavit, ſed providentiâ & inſtinctu divino factam. Ita cenſuere SS. Cyrillus & Hieronymus, cùm ultima illa verba Iſaiæ interpretarentur cap. XXXIV. *Et ipſe miſit eis ſortem, & manus ejus diviſit eam illis in menſuram*. Atque plures etiam auctores conſentiunt, mox à viſione Petri, de quâ in Actis, cap. X. ſtatutum fuiſſe, uti Evangelij conſortes fierent Gentiles. Iſta verò Concilii Apoſtolici conſtitutio, de quâ ſeparatio hæc intelligenda, non ſecuta eſt Martyrium IACOBI; ſed annis tribus præceſſit. Hoc verò fulcro opinio Patrum firmatur, Diſceſſum nimirum viventibus omnibus & conſentientibus Apoſtolis, atque jam tum Hieroſolymis, decretum eſſe. Ita Iuſtinus Martyr: *Hieroſolymis duodecim viri profecti ſunt in mundum, atque hi quidem indocti, & minimè eloquentes. Dei autem virtute humano generi denunciaverunt à Chriſto ſe miſſos eſſe, qui cunctos verbum Dei docerent*. Deinde, ſi disjuncti Apoſtoli,

(quod omnino contendit Baronius Cardinalis) anno XLIV. atque poſt Martyrium IACOBI, adſeri non poſſit *Hieroſolymis duodecim viros profectos eſſe*. Sed, ut taceam, IACOBI unius defectu duodenarium illum numerum imminutum; nec ſcripto quidem colligi, nec mente concipi poſſit, illo anno Apoſtolos XI. Hieroſolymis ſimul fuiſſe. Lectio nulla ſuggerit, ſubeunte Martyrium IACOBO, fuiſſe Hieroſolymis Apoſtolos: ſi abfuêre, quomodò reverſi turbido illo tempore & adflicto? Quinquennio priùs ſe veniſſe Hieroſolymam ſcribit Paulus: nec præter IACOBVM fratrem Domini quemquam repperiſſe. *Deinde poſt annos tres veni Hieroſolymam videre Petrum, & manſi apud eum diebus quindecim. Alium autem Apoſtolorum vidi neminem, præter* IACOBVM *fratrem Domini*. Vidit autem IACOBVM, quia Epiſcopus ille Hieroſolymitanus erat: electus eodem anno XXXIV. die VI. Kal. Ianuar. ut auctores ſunt D. Ioannes Chryſoſtomus, & Euſebius in Chronicis: tenuítque ſedem annos XXIX. Atque iſta electio IACOBI cognomine Iuſti, Diſtributionis Apoſtolicæ pars quædam fuit. Nam creare eum Epiſcopum Hieroſolymitanum, tantumdem eſt, ac Hieroſolymam velut Evangelij provinciam adſignare. S. Chryſoſtomus in re propoſitâ: *Si quis à me percontetur, quomodò* IACOBVS *ſedem Hieroſolymitanam accepit: reſponderem ego, hunc totius Orbis magiſtrum præpoſuiſſe Petrum.* Itaque ſeparatio iſta aut anterior fuit, aut dies certè ipſe, & velut punctum in ambiguo. Si verò decerni non poteſt, priórne Martyrio IACOBI, an poſterior fuerit; nullam ratiocinandi anſam ſuppeditat, quâ Adventus oppugnetur. Sed eſto: anno XLIV. & poſt Martyrium IACOBI diſceſſerint: non ideò tamen Hiſpania IACOBO ſubtrahatur. Venit enim, ac venire potuit

fuit ante separationem, atque adeò ante persecutionem Stephani, cùm x. aut xi. pòst anno (ut priori libro disseruimus) Martyrium demum subierit. Sive igitur Hierosolymis discesserit, occasione illâ publicâ quâ plerique, imò verò omnes Fidelium (*Omnes dispersi sunt*, inquit Lucas;) sive posteà; utrumque tempus ab errore remotum est, cùm pariter Cardinalis Baronius, Mariam IACOBI matrem Hierosolymis in Italiam profectam narret, atque hîc diem obijsse, sacrúmque corpus in templo Verulano servari & coli. Addit eâdem illâ persecutione S. Lazarum cum utraque Sorore, item Marcellâ ancillâ, & Maximino Discipulo ejectum, navíque injectum, sine velis ac remis, mero ventorum ductu, Marsiliam appulisse. Item Iosephum Arimathiæ comitem itineris hujus fuisse, atque hunc è Galliâ in Britanniam trajecisse. Adjungo in controversiam à plerisque rapi, quod Baronius ceu verum amplectitur, Martyrium IACOBI in annum à Christo nato XLIV. incidisse. non enim fuit hic annus XLIV. sed XLV. nec III. Claudij, sed IV. Nam Lucas juncto ac continuo temporis ambitu Martyrium IACOBI, vincla Petri, & profectionem Agrippæ Cæsaréam includit. Ac Iosephus abiisse hunc refert anno III. regni sui Iudaïci exacto. Fuit igitur IV. atque hic IV. quoque Claudij. qui, eodem Iosepho scribente, regnum Agrippæ dederat, ac paullò post fatis concessit. Sic concordi calculo Eusebius, & Nicephorus. Quâ quidem ratione tempus Apostolo ad profectionem superfuit.

Secundò, signatum in Actis locum & caput opponunt: *Et omnes dispersi sunt per regiones Iudææ, & Samariæ, præter Apostolos*. Ajunt enim, *Si Apostoli tunc temporis remanserunt, exire* IACOBVM *non potuisse*. Sed neque huic inest argumento pondus. Verum quidem

dem eſt, Perſecutione iſtâ, Pedem Apoſtolos Hieroſolymis non moviſſe: atque Oecumenius ait, id Gamalielis interceſſione manúque obtentum: Alii, Iudæos auſos non fuiſſe ejicere Apoſtolos, quos amabat populus atque venerabatur: veritósque ne ad ſeditionem veniretur: ſed hæc an illa, an alia cauſa fuerit, de Apoſtolis ſermo eſt, qui tunc Hieroſolymis commorabantur. Scribit Lucas: *Facta eſt perſecutio magna in Eccleſia, quæ erat in Ieruſalem*, quæ verba non obliquè innuunt, etiam extra ſacram urbem Eccleſiam fuiſſe. Potuit igitur & ipſe IACOBVS. Ac licet univerſi Chriſtiani Hieroſolymis non fuiſſent, fuiſſe tamen Apoſtoli dicantur, ſi majori eorum pars cum capite, è quibus nomen & ipſum Collegij Apoſtolici corpus quoddam conſtabat. quin eodem capite expreſſum eſt, Diſperſos per Iudæam & Samariam Diſcipulos; atque etiam in diverſas deinde Regiones progreſſos eſſe ſacra Hiſtoria notat: inter quos Ananias qui Damaſci Syriæ verbum Chriſti ſeminabat. quo certè intellectu quia plerique Diſcipulorum per Iudæam & Samariam diſperſi fuêre, omnes dicuntur. Poſtremò, quod omnem tollit dubitationem, manifeſtum eſt, licuiſſe Apoſtolis, quamvis ſimul omnes illo temporis momento Hieroſolymis conſtiterint, atque adeò remanſerint, primo tamen pòſt anno, aut citiùs ſeriúſque diſcedere. Licuiſſe? imò verò diſceſſiſſe. Nam Paulus ſe teſtatur, cùm ad urbem veniſſet, Petrum & Epiſcopum Hieroſolymitanum adiiſſe; nec alium tamen Apoſtolorum: aberant enim reliqui, ut in procinctu fiet palam. Renituntur huic objectioni adverſarij, & opinionem ſuam ſubſtituto argumento roborant: *Diſcedere neque tunc temporis, neque poſtea Apoſtolum quiviſſe. mandatum enim à Chriſto habuiſſe*, uti Apollonius tradit, *ne uſque ad duodecim annos Hieroſolymis diſcederent.*

ſcederent quaſi ante annum XLVI. *quemquam exire, nefas: Martyrium verò* IACOBI *jam tum fuiſſe.* Reſponſionis quædam velut capita ſuprà ſignavimus, incertam nec congruam Sacris Litteris hanc Traditionem eſſe. Nam profectò nullibi id mandati expreſſum invenias; niſi, ut Adventum Spiritus ſancti Apoſtoli operirentur, ſcribente Lucâ, Actorum cap. 1. *Et conveſcens præcepit eis ab Hieroſolymis ne diſcederent, ſed expectarent promiſſionem Patris, quam audiſtis (inquit) per os meum: quia Ioannes quidem baptizavit aquâ, vos autem baptizabimini Spiritu ſancto, non poſt multos hos dies.* Ex quo loco manifeſtè colligitur, vnionis hujuſce præceptum neutiquam annorum duodecim fuiſſe; ſed dum expleretur promiſſio de Adventu Spiritus S. quæ fuit ipsâ Pentecoſte. Atque id ultimo Evangelio idem Lucas expreſſiùs ſignificat: *Vos autem teſtes eſtis horum, & ego mittam promiſſum Patris mei. Vos autem ſedete in Civitate, quoaduſque induamini virtute ex alto.* Marcus etiam ſacram paginam ſuam concludens, Aſcenſionem Christi, & Separationem Apoſtolorum jungit, cùm jam de prædicando ubique terrarum Evangelio mandatum expreſſiſſet: *Omni creaturæ.* ait, *Et Dominus quidem* IESVS *poſtquam locutus eſt eis, aſſumptus eſt in cælum. Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante,* &c. Capite etiam ſignato in Actis, Legimus, Chriſtum, cùm ab Apoſtolis interrogatus eſſet, *Domine ſi in tempore hoc reſtitues regnum Iſrael?* reſpondiſſe. *Non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſuâ poteſtate. Sed accipietis virtutem ſupervenientis Spiritus ſancti in vos, & eritis mihi teſtes in Ieruſalem, & in omni Iudæâ, & Samariâ, & uſque ad ultimum terræ.* Ne adeò ſolliciti de ſolo regno Iſraëlis eſtote, non enim ſoli Hieroſolymæ aut Iudeæ cura atque miniſterium veſtrum deſtinatum; ſed orbi univerſo &

ultimis remotissimísque regionibus terræ. Quid? cùm ignis ille Spiritus sancti missus, ut mundi omnes partes incenderet atque inflammaret; cúmque hoc quoque desiderio flagraret filius Dei, ut evestigiò serperet sacra illa flamma, & incendium daret, ipso loquente: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut accendatur?* probabile non est ignem hunc, postquàm comprehenderat corda Apostolorum, totos annos XII. otiosum delituisse, & velut sepultum; cùm etjam inclytus ille Ambrosius dicat, *Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia.* Quòd si injunctum Apostolis, ne ante duodecennium urbe aut provinciâ sacrâ excederent, etiam D. Paulo fuisset, jam tum cælitùs luce & voce CHRISTI IESV circumfuso, atque percunctanti, *Domine quid me vis facere?* Missus autem à Domino ad Ananiam, ut quid facturus ab hoc edoceretur: & edoctus est. cujusmodi mandatum? ipse refert ad Galatas scribens, *Cùm autem placuit ei qui me segregavit ex vtero matris meæ,* &c. *continuò non acquievi carni, & sanguini, neque veni Hierosolymam ad antecessores meos Apostolos, sed abii in Arabiam, & postea reversus sum iterum Damascum. Deinde post annos tres veni Hierosolymam.* In Actis etiam cap. VIII. Philippus Diaconus, quem & ratio hujus præcepti tangit, mox à morte S. Stephani profectus Samariam, & inibi prædicasse Christum legitur: *Intendebant autem turbæ his, quæ à Philippo dicebantur:* Hoc etiam præconio Simon Magus ad saniorem mentem vitámque vocatus, *credidit & baptizatus est.* Sic igitur Evangelii & Miraculorum causâ, *Factum est gaudium magnum in illâ Civitate.* Lucas eodem cap. missos hac occasione Samariam narrat Petrum & Ioannem. Id factum anno sequenti, qui fuit XXXV. Sulpitio Galbâ & Cornelio Sullâ Coss. Verba: *Cùm autem audissent Apostoli qui erant Hierosolymis,*

nis, quòd recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Ioannem. Neque hoc solùm, verùm & IV. pòst anno Hierosolymis Petrus excessit. *Cùm*, ut Lucas scribit, *Ecclesia quidem per totam Iudæam, & Galilæam, & Samariam habebat pacem*. Atque eodem tempore, ut idem notat, *Factum est, ut Petrus, dum pertransiret universos, deveniret ad sanctos, qui habitabant Lyddæ*. Quin eodem anno (tametsi id Lucæ non expressum) D. Petrus Antiochiam è Syriâ venit, & Ecclesiam hîc fundavit, sedémque posuit, *Anno* inquam (ut calculum ponit Eusebius in Chronicis) IV. Olympiade CC. *antequam Tiberius moreretur*. Atque hic ille est. nam inter ea quæ hoc anno acciderunt (eodem Eusebio referente) *Petrus Apostolus Antiochenam Ecclesiam fundavit, ibíque Cathedram adeptus sedit*. Quarto deinde anno, qui fuit XLIV. cùm ab Angelo exemptus è vinclis esset, non solùm urbem Hierosolymitanam, sed limites ipsos Iudeæ reliquit, ac commoratus est Cæsaréæ-Stratonis, Sidone, Beriti, Tripoli, reliquísque in oris maritimis Palæstinæ, ut Metaphrastes tradit. Hic etiam annus duodecimum illum, quem Apollonius præfinit, biennio præcessit. Cùm igitur extra controversiam sit, D. Petrum Romanæ sedis auctoritate annos XXV. functum, & calculo Apollonij duodecim moræ Hierosolymitanæ adsignemus, profectò septennium Cathedræ Antiochenæ perit aut expungitur, quod ab universâ tamen Ecclesiâ numeratur, atque celebratur. Romam enim venit anno II. Imperij Claudij, & Martyrio adfectus ultimo Neronis, à morte Christi XXXVIII. Quòd priùs etiam quàm Romam venerit prædicandi munus obierit, testatur Leo Pontifex, ipsum Apostolum alloquens. *Iam*, inquit, *populum qui è Circumcisione crediderat, erudieras: Iam Antiochenam Ecclesiam, ubi primùm Christiani*

nominis dignitas est orta, fundaveras. Iam Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam, atque Bithiniam legibus Evangelicæ prædicationis impleveras: neque ut dubius de provectu operis, aut de spatio tuæ ignarus ætatis, trophæum Crucis Romanis arcibus inferebas. Paulus ipse anno XXXIX. cùm Hierosolymis Petrum inviseret, neminem se Apostolorum inibi repperisse scribit. Et Sophronius scriptor antiquissimus, adeò laudatus D. Hieronymo, Petrum non in illis solùm oris, sed Hispaniæ quoque Religionis cultum propagasse testatur. Ac profectò, ut sanctus ille æstus ardórque Apostolorum erat, credibile est, prodigiosam quamdam industriam atque celeritatem fuisse, quâ provincias regionésque pervaserint; ut Magistri sui mandata conficerent, atque victricia toto terrarum orbe Evangelii signa explicarent. quemadmodum tot antè seculis prævidit, præcinuítque Propheta Regius, Psalmo XVIII. Apostolorum curam ac solicitudinem celeritati solis comparans, quâ ab Oriente in occasum fertur, ad universum terrarum orbem irradiandum: *Cæli enarrant gloriam Dei: & opera manuum eius annuntiat firmamentum. Non sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Exultavit ut gigas ad currendam viam: à summo cælo egressio ejus. Et occursus ejus usque ad summum ejus,* &c. Ac certè tam insigni diligentiâ Apostoli usi, ut paucis post Ascensionem annis (gravissimi scriptores tradunt) per totum orbem Evangelii ditionem protulerint. Itaque horum sententiam amplexi, DD. Petri & Pauli, & IACOBI in Hispaniam Adventum si adseramus, non solùm Regnis hisce, sed Apostolis ipsis gloriam addamus: si verò negemus, præsertim hunc D. IACOBI, tot támque insignium Virorum auctoritate, pluriúmque seculorum consensu confirma

firma

firmatum; ſanè animum novitatis cupidum, & in re pietatis remiſſum prodamus. Multiplici igitur hac Apoſtolorum profectione auctoritas Apollonij confutatur, palámque eſt, ante duodecimum annum diſcedere IACOBVM Hieroſolymis potuiſſe, uti & Petrus, & Ioannes, & plerique Apoſtolorum diſceſsêre. Quâ in re animadvertendum, Apoſtolorum Martyria aliud nihil fuiſſe quàm eorum quæ prædicaverant, docuerántque, velut teſſeram quamdam morte obſignatam. Hinc etiam Eccleſia à Spiritu ſancto gubernata inter ſollemnia divini officij, quo Martyrum memoria colitur, primùm regna ſive provincias memorat, ubi prædicarunt; ac tandem coronidis loco ipſum Martyrij triumphum, quo prædicationis operam confirmarunt. D. IACOBO ijſdem in ſacris converſio regnorum Hiſpaniæ attributa, quæ, ut multis de cauſſis meritò æſtimata; ita triumphum Martyrij IACOBÆI primum ac celeberrimum in agmine illo Apoſtolorum Divina Sapientia conſtituit, ſacríſque litteris expreſſit: imò tam venerabile corpus prodigioſè transferri, ac deponi hîc terrarum voluit; ubi adfectus etiam viventis, velut in pignus ſe effudit, cùm Fidei aurâ populum imbueret. Quis igitur tanti animi aut frontis, ut delere gloriam audeat rerum à Divo TVTELARI noſtro cum laude Heroicâ geſtarum; aut profiteri, Apoſtolorum illum anteſignanum, qui pro confirmandâ religione primus occubuit, ubique terrarum excluſum, & velut extorrem, ne hiſtoriam quidem meruiſſe, aut memoriam ſui; quaſi qui tã eximius animo ac virtute fuit, nihil dignum memoratu reliquerit? Profectò & ratio, & pietas quoque Chriſtiana reluctatur: imò ipſa Eccleſiæ Romanæ auctoritas, quæ diem ſacrum Cathedræ D. Petri Romæ Sermone illo S. Leonis Pontificis, piè ſollemnitérque

ornavit. Cujus verba ſunt: *Cùm duodecim Apoſtoli acceptâ per Spiritum ſanctum omnium cognitione linguarum imbuendum Evangelio mundum, diſtributis ſibi terrarum partibus ſuſcepiſſent, Beatiſſimus Petrus Princeps Apoſtolorum ad arcem Romani deſtinatur Imperij,* &c. Itaque cùm unuſquiſque Apoſtolorum certam ac præfinitam partem ſortitus ſit, ubi divini verbi ſemina ſpargeret, profectò, niſi exſortem D. IACOBVM habeamus, huic, conſenſu totius Chriſtiani ævi, Regna Hiſpaniæ adſignanda ſunt.

Reluctantur etiam, ajúntque, *nec veniſſe in Hiſpaniam Apoſtolum, nec indigenis Evangelium prædicaſſe: quippe non licuiſſe: ac planè non prædicaſſe*. Non licuiſſe. *Cautum enim ut ab Evangelicâ doctrinâ Gentiles arcerentur: neque iſtum tum etiam rigorem fuiſſe ſublatum*. Non prædicaſſe. *Primum enim Gentilium inter Chriſtianos adoptatum Cornelium legi: ſed eo tempore adoptatum, ut nullus Adventui Apoſtolico locus relinquatur*. Reſpondeo; primò, non tam rigido imperio remotos ab Evangelio Gentiles; imò verò ſine diſcrimine ad omnes omninò nationes Chriſti illud mandatum ſe extendiſſe: *Prædicate Evangelium omni creaturæ*. Illúdque: *Et eritis mihi teſtes in Ieruſalem, & in omni Iudæâ & Samariâ, & uſque ad vltimum terræ*. Neque locus ille Matth. cap. x. quidquam turbat: *In viam Gentium ne abieritis, & in Civitates Samaritanorum ne intraveritis; ſed potiùs ite ad oves, quæ perierunt domus Iſrael*. Non inquam turbat: primò, ut D. Hieronymus animadvertit, ejuſmodi præceptum ante mortem & reſurrectionem Chriſtus dedit: poſt verò, poteſtatem imperiúmque laxans, & quaſi prohibitionem tollens, edixit: *Docete omnes Gentes: prædicate Evangelium omni creaturæ*. Imò Eccleſiæ portæ Gentilibus patefactæ, non à converſione Cornelii, ſed à morte & Reſurrectione Chriſti: atque hic

Ipſe,

Ipse, non autem Petrus patefecit, indicante Paulo his verbis: *Ipse enim est pax nostra, qui fecit ex utraque unum, & medium parietem maceriæ, solvens per crucem interfecit inimicitias in semetipso.* Idipsum S. Leo docet: *Postquam resurrexit Dominus Apostolis suis potestatem tradidit baptizandi, dicens, Euntes docete omnes gentes*, &c. *de quo utique eos, id est Apostolos, & ante passionem potuisset instituere, nisi propriè voluisset intelligi regenerationis gratiam ex suâ resurectione cœpisse.* Atque hince verbis, *Docete omnes gentes*, &c. mandatū Gentilibus fuisse, uti Baptismum reciperent, D. Thomæ doctrina est. Neque fieri potest, ut, à latâ lege, quâ ad Baptismatis gratiam Gentiles vocantur, obstructas Ecclesiæ portas habuerint. Deinde, quia verba illa signata, non tam prohibitionem rigidam, quàm prælationem imperant; uti primò ac præcipuè Fidei doctrinâ Israëlitæ imbuerentur. Sic igitur tametsi de se ipse Christus pronunciat, *Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt domus Israël:* nihilominùs Gentiles admisit, & cum Samaritanis versatus est: atque sic etiam Apostoli, ut Iudæis, qui infesto calculo à prædicationis fructu Gentiles rejiciebant, satisfacerent, alio in loco elocuti sunt. *Vobis oportebat primùm prædicare regnum Dei: sed quia repulistis illud, & indignos vos judicastis æternæ vitæ; ecce convertimur ad Gentes; sic enim præcepit nobis Dominus.* Pariter D. Paulus Corinthiis: *Sanguis*, inquit, *vester super caput vestrum: mundus ego ex hoc ad Gentes vadam.* Locus verò ille Lucæ, quem proferunt, ipsis infestus est. Verba enim quæ recitavimus, hæc alia sequuntur & excipiunt: *Erant autem quidam ex eis viri Cyprii, & Cyrenæi, qui cùm introissent Antiochiam, loquebantur & ad Græcos, annuntiantes Dominum* IESVM. *Et erat manus Domini cum eis, multúsque numerus credentium conversus est ad Dominum.* Intellige de Discipulis, qui primâ persecutione

cutione pulsi, cùm D. Stephanus Martyrio adfectus est. Et clarè *Græci* illi Gentiles sunt: (ἀκολούθως enim loquitur) & velut in ἀντιθέσει eorum quæ dicta: *Nemini loquentes verbum, nisi solis Iudæis*. Atque in voce, *& ad Græcos* emphasis est & extensio. Nam ut dicamus, posteriùs istud post conversionem Cornelii factum, nullo fundamento sustentes; cùm continuus uterque locus sit, & in oratione conjunctâ. Itaque cùm Hierosolymis conversio Israëlitarum tantâ industriâ procurata, etiam piam Evangelij operam Gentilibus præstare IACOBVS in Hispaniis potuit. Secundò, prompta quoque responsio, De Cornelio, an Gentilium primus ad fidem venerit, liquidum nequaquam esse, non ob id solùm, quod dictum est, à Discipulis Antiochiæ patratum; verùm etiam ob conversionem, cùm Samaritanorum, qui Israëlitarum nomine non censentur, atque adeò in ipso edicto prohibitorio, quo premimur, à Christo ipso cum Gentilibus junguntur; tum Eunuchi Candaces Reginæ Æthiopum, quem D. Philippus in finibus Samariæ, ut in Actis narratur, docuit atque baptizavit. D. Basilius, Cyrillus, Eusebius, Theophylactus, Oecumenius, aliíque auctores graves, primum hunc ab errore Gentili revocatum scribunt. Vtraque verò hæc conversio in annum incidit XXXV. & illam Cornelij præcessit. Ac tametsi Baronius Cardinalis respondere utrobique contendat, rem ipsam certè non expedit. Sic igitur illud de Cornelio non liquet. Liquere tamen fateamur, eúmque è Gentilibus primum. Haut dubiè fuit hæc conversio anno III. Imperii Caii, eodem Cajo II. & Lucio Apronio Cæsiano Coss. Ita ut hinc quidem ad Martyrium IACOBI triennium integrum, imo quadriennium, aliorum supputatione, superfuerit: amplum satis Apostolo spatium ad iter Hispanicum, atque

Prædica-

Prædicationem. Denique si hæc ipsa ancipiti fide vacillent (ut liberali responsione rem absolvam) salva tamen veritatis ratio sit. Prædicare enim IACOBVS Hebræis, qui tunc in Hispaniâ, potuit: atque hoc modo, omnis planè ansa tollitur difficultatis. Nam quòd negant Hebræos, tunc temporis in Hispaniâ fuisse, nugæ. Fuêre profectò, ut in reliquis ferè totius orbis plagis. De Italiâ controversia nulla est: ac D. Paulus, ut in Apostolorum Actis legimus, simulátque Romam venit, *Vocavit primos Iudæorum:* quia verò Roma caput imperii erat, cui & Iudæi subjecti, plurimos istic fuisse necessum est. Quid? Scriptores ipsi Romani suffragantur: quorum in Satyris, aliísque scriptis frequentes Iudæi. De Italiâ parùm est: idem de Ægypto, Phœniciâ, Syriâ, Pamphiliâ, Ciliciâ, ac totâ denique Asiâ & Europâ, insulísque Agrippa refert, libello ad Cajum Imperatorem. Nam etsi verum, non ejectos è Patrio solo Hebræos, aut per vim victoriámve extorres; innato tamen desiderio sive Genio, cupidi peregrinationis erant. Scribit Philo libro contra Flaccum, item de legatione ad Cajum, Iudæos eo tempore non Palæstinam solùm, sed Asiam, Africam, & Europam insedisse. Et S. Lucas: *Erant autem in Ierusalem habitantes Iudæi religiosi ex omni natione, quæ sub cœlo est.* Ac nationes illæ quindecim quæ istîc recensentur, & Apostolos *suâ linguâ loquentes* audiebant, Iudæi sine dubio fuêre, qui per provincias illas sparsi habitabant, & tamquam incolæ atque indigenæ nomen ab iisdem trahebant. Ita Iosephus adversus Appionem. *Qui Antiochiam,* inquit, *habitant Iudæi, Antiocheni nominantur: ius enim Civium eis dedit conditor Seleucus. Similiter & qui in Epheso commorantur, & aliâ Ioniâ, cum Civibus exinde natis, eandem appellationem habent.* Romani etiam qui in actis inter auditores Apostolorum recensentur

 Iudæi

Iudæi erant. neque enim adhuc Apoſtoli Fidei myſteria Gentilibus aperiebant. Cùm igitur tanta Romæ, & per Italiam multitudo Iudæorum, indigenarum ſive popularium, cúmque in arma & leges Romanas Hiſpania ceſſiſſet, facilè commercium tranſitúsque Iudæorum iſtuc fuit, quibus prædicaſſe Apoſtolum dicamus. Atque ut diſtinctiùs, & auctoritate rem concludam; ſparſos tunc temporis per Hiſpaniam Iudæos Divus Chryſoſtomus tradit, de Adventu D. Pauli in Hiſpaniam loquens: *Cùm igitur biennium Romæ exegiſſet in vinculis, tandem dimiſſus eſt. Deinde in Hiſpanias profectus, inviſit illic Iudæos quoque, ac tunc fortaſſe Romam reverſus eſt.* Raſis Maurus etiam, ſcriptor antiquus, & ex illo Vaſæus, referunt, in finibus antiquæ urbis Illiberi ingentem & vetuſtiſſimam Iudæorum coloniam ſediſſe, ipſo illo tractu, ubi nunc Granata: nec originem ſilent. Profectum enim in Hiſpaniam Nabuchodonoſorem, qui, ſcribente Daniele, tres pueros miſit in furnum, profectum inquam annis plus minus I Ↄ. C. ante Chriſtum natum, uti Phænices in Hiſpaniam profugos deleret, qui ſuppetias urbi Tyro tulerant, à Nabuchodonoſore obſeſſæ. Id graviſſimi auctores teſtantur: addúntque, plures huc ab eodem, poſtquàm urbem Hieroſolymitanam exciderat, Chaldæos & Hebræos traductos. Ioſephus ipſe mentionem facit, & ad Columnas Herculis proceſſiſſe ait. Garifax, cui Mariana ſubſcribit, etiam Strabonem huc trahit, adſerítque Hebræorum plures è Comitatu Nabuchodonoſoris reſtitiſſe cum filiis in Hiſpaniâ, ſedémque fixiſſe: imò nomina à linguâ Hebræâ derivata non uni loco aut urbi impoſuiſſe: ac denique Synagogas illuſtres ſparſim exſtruxiſſe. Atque ita præter Gentiles, ſi tamen obſtructus iis in Eccleſiam aditus fuit, non defuere in Hiſpaniâ, quibus doctrina Evangelii panderetur.

retur. Quòd si igitur (hæc enim dictorum velut collectio est) temporum ordo atque successio, cùm in Historiâ Ecclesiasticâ, tum in rebus actísque Apostolorum putetur, locíque è Scripturâ sacrâ citati perpendantur, quidquid denique sive certum ac decisum, sive anceps atque arbitrarium est; profectò nihil dici aut adduci potest, quo Apostoli in Hispaniam Adventus refellatur. Quid dico refellatur? ne suspectus quidem aut incertus, aut improbabilis reddatur. Illi autem, qui Venire non Potuisse, aut Difficulter Potuisse IACOBVM clamitavere, malè adfectam mentem professi sunt, à vero locorum Ecclesiasticorum sensu desciscentes.

Reliquum est ut auctoritas utriusque Innocentii pensitetur. illa Primi, epistolâ ad Eugubinum, & illa quæ ex actis Concilii Lateranensis proponitur. Ab Epistolâ prius telum est, ad Decentium Eugubinum scriptâ. quæ XLVI. est, atque in Decreto Gratiani citatur. Verba retulimus, nunc refellenda, aut certè explicanda. Quid igitur? In Digerie Gratiani, Ivonis, Anselmi, Burchardi, & aliorum, hæc epistola invenitur. At Baronius Cardinalis, Anacleti, Clementis, Calixti, aliorúmque in eadem collectione epistolas adulterinas censet. Operæpretium omninò erat, caussam discriminis promere, rationémque putare, cur majoris momenti una hæc epistola, quàm reliquæ quas impugnat. Neque enim verba hæc Concilij aut Actus haberi possunt, nec Decreto Pontificio inserta. Epistolam istam auctoritate suâ nequaquam spolio: quin potiùs veram & germanam esse ajo, atque reliquas etiam germanas. Respondeo igitur adulterinam censionem esse, quâ testimonia ad confirmandum Apostoli Adventum prolata, fide exuantur. Baronius Cardinalis tomo I. Annalium, cùm Adventum D.

IACOBI defendiſſet, refragantem verborum ſenſum, quem objicere Epiſtola hæc Innocentij videbatur, diluit, & ad rem appoſitè: ajt D. Paulum hac Epiſtolâ non comprehendi. Fuiſſe namque mentem Pontificis, ut eos ad quos ſcribebat, tenaces rituum Eccleſiæ Romanæ redderet: in quâ tamen D. Paulus docuit. *Nam Pauli cauſſa diverſa eſſe videtur à ceteris, quippè quòd ipſe ſicut Petrus Romæ docuerit.* Fateri etiam cogimur nequidem de Sancto Barnabâ Pontificis verba intelligi: cùm idem Baronius Cardinalis, uti antè diximus, ac deinceps clarum evadet, prædicaſſe eum in Liguriâ adſerat. Eadem ratione ab Innocentij auctoritate IACOBVM Apoſtolum ſejungimus: quippe quem neque nominat, nec cujus nominandi occaſionem ullam habuit. Epiſtola enim, non ad Epiſcopum aliquem Hiſpanum, aut de re Hiſpanienſi ſcripta; ſed ad Eugubinum Epiſcopum, qui in Italiâ. Ipſe Innocentius, quæ de Apoſtolorum doctrinâ ſcribit, non ex profeſſo, ſed caſu ſcribit. At quis obſecro vigor, quæ auctoritas verbis adhæreat ſic prolatis? Fieri etiam poteſt, Baronio ipſo ſcribente, tempore hujuſce Pontificis, Adventus IACOBÆI notitiam in ſereno aut aperto nondum fuiſſe. Quid mirum? ipſa venerandi corporis tranſlatio, atque in urbe Compoſtellanâ Depoſitio, quæ certiſſima, tempore Venantij Fortunati ignorabatur. Hic enim, cùm de Sanctis ageret, quos hæc tunc provincia habebat, & tamquàm ſuos colebat, corporis Apoſtolici theſaurum ſilentio prætermiſit: *Quod autem ſpectat ad tranſlationem ejus venerandi corporis Hieroſolymis in Hiſpaniam, citatur ejuſdem Leonis III. Epiſtola, &c. Fuiſſe autem id penitus ignotum, in argumentum deduci poteſt, quòd Venantius cum relegit cujúſque Provinciæ vel Civitatis celebriores in illis poſitos, & cultui expoſitos Sanctos, de Iacobo, & Ioanne hos habet verſus:*

Præci-

Præcipuum meritis Ephesus veneranda Ioannem
Diligit, & Iacobum terra beata suum.

Denique his verbis concludit: *Vt planè appareat, adhuc occultum iacuisse, qui delitescebat magnus sub terrâ thesaurus.* Cujusmodi etiam eventum res à D. Paulo in Hispaniâ gestas sortitas esse scribit: *Porrò res gestæ Pauli in Hispaniâ sicut & alia ejus acta, postquam solutus vinculis Româ egressus est, remanserunt inopiâ scriptorum prorsus obscura*, &c. Huic quoque infortunio Adventum D. IACOBI in Hispaniam obnoxium fuisse, manifestum; cùm exiguus per ea tempora litterarum usus: ac si fuisset; in illo rerum motu & bellorum, quo continuò Hispania inhorruit, salva esse scriptorum monumenta non potuêre. Itaque librorum damnum Apostolus ipse miraculis ínstauravit, cùm acies exercitúsque Hispanos præsenti auxilio & apparitione bearet, aliáque id genus miranda patraret, ad excepti olim sui, depositíque memoriam renovandam, & Traditionem conservandam. Structo hoc velut fundamento, amplius etiam dico, & dissero. nam si clarè ac distinctè Innocentius Apostoli Adventum examinasset, ac negasset; quemadmodum Gelasius Pontifex Adventum D. Pauli (cùm una hæc auctoritas è conflictione plurium atque repugnantium trahatur & seligatur:) idem nos quoque reponamus, quod Gelasio Baronius Cardinalis: *At licet Gelasius contrariæ esset sententiæ assertor, tamen si numero testium eadem sit definienda controversia, pro uno Gelasio complures sunt ei eruditione non impares, qui profectioni Pauli in Hispaniam libentiùs adstipulantur:* At nos quidem probabili magis censurâ; cùm de D. IACOBO Innocentius non loquatur. Adjungo etiam ne Innocentium quidem, etiamsi verborum extremam faciem inspicimus, ire inficias, in Italiâ, inque Hispaniâ Apostolos docuisse.

cuisse. Hoc enim duntaxat ait, non compertum lectione. Si verò ait non compertum, quia mentionem Acta Apostolorum non faciunt; verè ait: non propterea tamen, aut aliter se rem habere, aut probabiliter defendi non posse, inferre liceat. Multa enim ab Ecclesiâ recepta, quæ neque leguntur alibi, neque in sacris litteris expressa sunt. Auctoritas Traditionum Ecclesiasticarum neminem fugit. Vnius Basilii locus libro de Spiritu sancto, ad rem validus. *Nam si aggrediamur,* inquit, *ea, quæ non scripto constant, sed tantùm consuetudine repudiare, imprudentes Evangelio, & quidem in præcipuis partibus ejus officiemus, vel potiùs ipsamet instituta ad inane quoddam nomen redigemus. Exempli caussâ: Eos qui in Domini nostri* IESV CHRISTI *spem posuere, figurâ Crucis signari, quis scripto docuit? Dum oramus, Solem ad Orientem conversi, ecquæ nos literæ docuerunt? Verba invocationis, cùm panis Eucharistiæ, & panis benedictionis offertur, quis ex Sanctis Patribus nobis scripta reliquit?* Atque exempla plura prosequitur. Locum ipsum Gratianus in Decretum suum transtulit: nec in ritibus sacris tantùm, sed Historiis etiam Traditiones Ecclesia observat. De Baptismate Constantini, an fuerit Romæ non loquor: nec aliis de rebus, quæ à recentiori ævo scholas & ingenia exercent. Quod maximum & antiquissimum est, proferamus. Ecce Cathedram Antiochenam erectam à D. Petro & institutam Ecclesia agnoscit, & religiosâ diei memoriâ colit: neque hujus tamen rei tam luculentæ mentionem Lucas in Actis Apostolorum facit. Assumptionem D. Virginis Ecclesia celebrat. quâ etiam voce transitum ejusdem, sive ἀποθέωσιν constanter intelligit: atqui hanc Assumptionem scimus non ab Historiâ sacrâ, sed traditione acceptam, quemadmodum Nicephorus scribit. An quidquam illustriùs in monumentis sacris,

quàm

quàm D. Paulum Romam venisse? Et an quemquam Disceptatio Antiochena inter Petrum & Paulum, *vel ex ipso Paulo* lateat? Vtriusque tamen apud Lucam silentium est. Imbecillum argumentum, quod à silentio, sive omissione sumitur. Omnia stilo explicanda non sunt: neque necessum est. Multa Lucas scripsit; sed & multa prætermisit. De hoc silentio D. Hieronymus loquens, verba hæc deprompsit: *Nec mirum, si Lucas hanc rem tacuerit, cùm alia multa, quæ Paulus sustinuisse se replicat, Historiographi licentia prætermiserit, & non esse contrarium, si quod alius ob caussam dignum putavit relatu, alius inter cetera reliquit. Denique primum Antiochenæ Ecclesiæ Episcopum Petrum fuisse accepimus, & Romam exinde translatum; quod Lucas penitus omisit.* Itaque cum Innocentio confitemur, in sacrâ Historiâ Apostolorum in Hispaniam, Italiam, Africam Adventum expressum non esse: at verò tolli propterea negamus. Attamen, si quod dicitur, *Lectione compertum non esse Apostolorum quemquam in Hispaniâ, Italiâ, Africâ docuisse*, de alio aliquo Innocentius scriptore gravi intelligat; hoc verò difficulter admodum sustentari poterit; imò verò nequaquam sustentari. Taceo jam de Adventu IACOBI in Hispaniam; taceo de aliorum Apostolorum in alias partes: hoc dumtaxat inquiram, quomodò locus ille Innocentii, quod ad Italiam attinet, defendatur. Quid de Adventu D. Barnabæ in Liguriam, D. Pauli in Hispaniam, D. Simonis in Africam, respondendum, si ab Italiâ discedamus? Nam venisse in Hispaniam D. Paulum S. Chrysostomus tradit, auctor sanctus & multoties ab Innocentio defensus. *Postquam*, inquit, *Romam ingressus est, ibi quoque quantâ cum modestiâ affirmat veritatem, quantâ etiam cum libertate obstruit ora impiorum? videas cum Hierosolymis ad Hispaniam usque currentem*: Atque alibi sæpius repetijt. Ante Chryso-

Chrysostomum, idipsum Hippolytus retulit, libello de septuaginta duobus Discipulis. Et Athanasius epistolâ ad Diacontium, Cyrillus in Catechesi, Theodoretus, & è Latinis D. Hieronymus, Gregorius, aliíque istius notæ. De S. Barnabâ videamus, quem universa Italia Institutorem Ecclesiæ Mediolanensis, primúmque Episcopum agnoscit. Boninus Mombricius scriptor insignis in Italiâ, ita tradit: ac in illam venisse Italiæ partem, quæ Liguria vocatur, testantur Beda, Alexander Monachus, Hippolytus Martyr, Dorotheus, aliíque plures, quos recensere non est necesse: nemo enim refragatur. Idem Baronius Cardinalis omne responsionis genus diluit. Admittit enim non solùm Adventum, sed institutionem ipsam Ecclesiæ Mediolanensis, ut dictum est, ipsiúsque verbis expressum. De S. Simone Cananæo, qui dictus Zelator, & in Africâ, Britanniáque Evangelium sparsit, scribunt Dorotheus & Nicephorus, quibus & Græci in Monologiis subscribunt. Eadem velut lineâ D. Augustinus & Salvianus Massiliensis contra Petilianum, ejúsque sectatores Hæreticos, adserunt prima Evangelii auspicia ab ipsis Apostolis in Africâ edita: non ab illis qui secuti. Miras munimento huic convellendo machinas ingeniosa calliditas admovit; sed (quid opus rejectione!) irritas omnes atque inanes. Atque hoc modo intellectus verborum Innocentii, quà officere rationibus nostris videtur, nullatenus constat. Ex unoquoque horum capitum responsio ad objectionem promatur: sed quod præcipuè rem declarat, & quo Innocentij verba velut expendenda sunt, finis ipse & intentio Epistolæ est; imò ratio, quâ nititur iste finis. Neque enim Adventum Apostolorum in Hispaniam negatum ivit, longinquus ab hoc scopo scriptionis. Quid igitur? *Quod à Priucipe Apostolorum Petro Romanæ Ecclesiæ tra-*

ditum

ditum est, ab omnibus debere servari. Hic intellectus tam sanctus atque pius, ut quamvis aliis Ecclesia quæpiam traditionibus fundata sit, omni illæ fide & adienu carere debeant. Sic Leo Pontifex: *Cùm Beatißimus Petrus Princeps Apostolorum à Domino acceperit principatum, & Romana Ecclesia in ejus permaneat institutis; nefas est credere, quòd sanctus Discipulus ejus Marcus, qui Alexandrinam primus Ecclesiam gubernavit, aliis regulis traditionum suarum decreta formaverit.* Quid verbis opus? mentis suæ rationem singularem Innocentius ipse aperit. *Cùm manifestum,* inquit, *sit, in omnem Italiam, Galliam, Hispanias, Africam, atque Siciliam, Insulásque interjacentes, nullum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos venerabilis Apostolus Petrus, aut ejus successores constituerunt Sacerdotes: aut legant si in his Provinciis invenitur, aut legitur alius Apostolorum docuisse:* Atque hac ratione denuò concludit: *Quòd si non legunt, quia nunquam inveniunt, oportet eos sequi hoc, quod Ecclesia Romana custodit, à quâ eos principium accepisse non dubium est.* Innocentii igitur non ille scopus fuit, ut arbitraretur, an Iacobus, Paulus, Simon oram aliquam provinciæ hujus attigerint, Prædicaveríntve: fuit, ut adsereret nullam ab iisdem Ecclesiam erectam: & quâ de causâ? Traditiones enim quas in Ecclesiâ Romanâ D. Petrus reliquit, etiam in Hispaniâ, Africâ, Galliâ, Italiâ observandas esse. Nam ab eodem illo auctore Ecclesias in his provinciis omnibus fundatas. Eodem? imò verò solo: cùm nullum lectionis indicium ad alios se Apostolos extendat. Sic quod semel dixit, *Nullum instituisse Ecclesias,* quod etiam Leo Pontifex, *Non aliis regulis traditionum suarum decreta formare*; dixit ipse Innocentius, *Nusquam legitur docuisse.* Dictiones etiam *Cathedra,* & *docere* inter se referuntur: éstque posterior dicæologica. quo sensu Iulius & Leo Pontifices scribunt: *Satis enim indignum*

dignum est, quemquam vel Pontificum, vel ordinum subsequentium, hanc regulam refutare, quam Beati Petri Sedem & sequi videat & docere. Atque de istâ institutione & fundatione Innocentij verba accepit Cōcilium Troslejanum, atque etiam citavit: *A nemine Apostolorum Ecclesiam sive in Italiâ, sive in Hispaniâ fundatam.* quâ enim auctoritate, quibus Traditionibus, Regulísque Ecclesiasticis? Aliud est, ad Fidem infideles in Hispaniâ ducere: aliud fundare Ecclesiam, aut Cathedram instituere. Prius Apostolorum omnium fuit munus; posterius solius Petri, tanquàm Ecclesiæ Capitis. Itaque Prædicarunt in Hispaniâ Evangelium IACOBVS, & Paulus: non propterea cathedras erexerunt. Misit in Hispaniam, scribente Gregorio VII. Petrus Episcopos: non tamen hi primi, qui munere Apostolico inibi functi, verbíque sacri ministerium obiverunt. Sic etiam institutio cathedræ Antiochenæ soli Petro adscribenda est: etsi hic, ut ex Actis Apostolorum constat, primus Evangelium non prædicavit. Id Cardinalis Baronius fatetur: *Modò igitur, ut dicamus fundatam seu erectam sedem Antiochenam, non est intelligendum, quòd ibi Petrus primò prædicaverit Evangelium. Id enim factum ab illis, qui post necem Stephani pulsi Hierosolymis sunt, Discipulis, Lucæ testimonio exploratum satis atque perspectum habetur.* Et paullò inferius: *Quòd si quoquo modo, quia Petrus post alios Antiochiæ Evangelium prædicavit, fundasse eam Ecclesiam dicendus esset, nihil certè hac de caussâ tribuendum amplius Petro, quàm Paulo.* In Africâ primus Religionis arcana D. Simon explicuit: at institutio Ecclesiarum Africæ D. Petro, Ecclesiæque Romanæ, à Gregorio VII. tribuitur. *Scientes,* inquit. *prætereà vnde in Africanis partibus sumpserit ordinatio sacerdotalis exordium; laudabiliter agitis, quòd Sedem Apostolicam diligendo, ad officii vestri originem prudenti recorda-*

recordatione recurritis. Sed in Innocentii epiſtolâ accuratiùs verba hæc ponderanda: *Aut legant, ſi in his Provinciis invenitur, aut legitur alius Apoſtolorum docuiſſe:* Nam cùm mens & conatus hic ejus, ut oſtenderet id ratum cunctis eſſe debere, quod Apoſtolorum princeps Petrus in Romanâ Eccleſiâ docuit, atque ordinavit; quæ ratio perſuadeat, ut in Galliâ, Italiâ, Hiſpaniâ, & Africâ, nec Prædicaſſe Apoſtolos contendamus, nec Eccleſias fundaſſe, niſi miſſos à Petro? Deinde bona etiam pars Europæ, & univerſa Aſia reliqua eſt, nec ratione iſtâ comprehenſa, quâ regiones atque regna recenſita dumtaxat exprimuntur. Vnde ſi varietatem lectionis, uti diverſi codices repræſentant, expendimus, non longè germana ſententia ſit. Concepta video verba: *Alius Apoſtolorum docuiſſe*, atque etjam, *alius Apoſtolus docuiſſe*. Veram lectionem eſſe ſuſpicor: *Aliud Apoſtolos docuiſſe*, Congruè magis præcipuo ſcriptionis argumento. Nam ſi verum (nec eſſe quiſquam neget) nuſquam in Hiſtoriâ ſive ſacrâ, ſive profanâ prodi, quidquam Apoſtolos contrarium, aut diverſum iis quæ in Eccleſiâ Romanâ à Principe ſuo tradita aut præſcripta, docuiſſe; nullo profectò jure aut colore, ſe præceptis ritibúſque Eccleſiæ Romanæ quis eximat. Neque adeò proclive dictu, hac potiſſimùm de cauſâ, quòd in Italiâ, Hiſpaniâ, Africâ, reliqui Apoſtoli non docuerint, ubique terrarum Eccleſiæ Romanæ præceptis ritibúſque ſtandum eſſe. Etſi enim illis in locis docuerunt: non ideò auctoritate ſuâ Eccleſia Romana ſpoliatur: quippe quam velut magiſtram atque matrem Chriſtiani univerſi ſequuntur; cúmque certum, Apoſtolos, quæcumque loca adierint, nec tradidiſſe quidquam, quòd doctrinæ Petri repugnaret; atque adeò religione impeditos. Si verò vulgatam lectionem amplectimur, animadverſione dignũ,

Argumentum hoc, *docuisse in Italiâ, Galliâ, Hispaniâ, Apostolos*, extra propositi lineam, nec nisi (supra nobis dictum) ex supervacuo à Pontifice expressum. Quin promptum etiam dictu, non decerni hîc quidquam; sed vocari in dubium, & latis conditionibus inquiri: *Aut legant si in his Provinciis legitur: quòd si non legitur*, quasi indicet insinuétque non obliquè fidem librorum atque testimoniorum de totâ hac re admittere fas esse. Quid? ait Pontifex: *Legant, si legitur*. nos verò utimur hac facultate, & legisse nos respondemus, invenisse, imò gravissimorum virorum, summorúmque Pontificum scriptis suffragiísque adstruxisse: qui quidem non casu aut judicio titubante, sed seriò ac constanter Adventum IACOBI in Hispaniam adfirmant. Adventum inquam, cui nubem aut nebulam Innocentii hæc epistola non obducit. Clara enim ipsa & liquida, si prorsus inspicimus, nec piæ traditionis perennem radium remoratur.

Facilior etiam responsio Disceptationem de Primatu Hispaniarum confundat, illam inter Archiepiscopos Toletanum & Compostellanum ortam. Nam profectò nullius auctoritatis ponderísque contradictionem Toletani fuisse, hinc abundè liquet; quòd disceptationis pars fuerit, quòd propriâ in causâ pronunciarit; quòd cùm impetu, quòd cum animi morbo: uti Baronius Cardinalis pariter adfirmat. Superfluæ igitur Disputationi supersedeo. Hoc ipsum quod Tabulis illis refertur, certè in Concilio Lateranensi ejúsve proœmiis sive Actis non reperias. Quid dico non reperias? imò nullo verborum jure sive indicio se partem hæ tabulæ Concilij faciunt, aut insinuant: sed produnt se ab ignoto aliquo (sive ille Ecclesiasticus, sive pseudonotarius, sive privatus aliquis) congestas esse: ne oblivione scilicet obruerentur. Iure igi-

tur rejicimus hæc Acta, & omni auctoritate minuimus. In lucem eas protulit Garcia De Loaysa. Ceterùm sine ullo alio testimonio, aut fide: protulit, cùm adhuc privatus esset; sed tamen rem suam agens, quia in sacra Ecclesiæ Toletanæ adscitus: & quas tabulas? Subditicias; quæ in potestate sunt eorum qui easdem proferunt iidémque utuntur. Itaque fidem planè non merentur; nec in fraudem cujusquam (ne dicam Ecclesiæ Hispanæ) citari, fas est. De primatu quidem non semel inter Archiepiscopos Toletanos, ceteràsque Hispaniæ cathedras motam esse litem audivimus; sed motam, Toleto jam devicto; atque magnâ sæpe perturbatione agitatam, sine ullo decisionis fructu. Ἀκολούθως igitur, quî colore sive titulo tam recenti momenta rerum obtendantur, ad antiquissimæ caussæ veritatem diluendam? Ac tametsi litem judicium sequatur, atque hinc inferre quis possit, hæc acta, judicii acta, sive partem fuisse, mutatam licet atque imminutam: tamen jus hoc omne & ratio fatiscunt. Primùm enim, ut fidem in judicio Acta obtineant, vera & integra repræsentanda sunt: deinde, suspecta omnis auctoritas, cùm Ecclesiæ adversariæ sollemnia atque publica hujus caussæ acta in archivis suis habent, quibus tota controversia fulcitur. Discrimen juris est, subditicia Scriptura quæpiam, an falsa & adulterina sit. Subditicium est quidquid insolenti, nec fide dignâ formâ conceptum, aut de quo dubium, an à publico tabellione sive scribâ. Falsum & adulterinum est, quidquid aut non fuisse, aut aliter fuisse, quàm profertur; aut fictum commonstratur. De priori diximus: de posteriori dicamus. Etsi sollemniter conceptæ hæ tabulæ; difficulter tamen fidem apud viros graves inveniant. Nam primùm, cùm auctor horum scriptorum narrationem suam orditur, locum notat, rémque accidisse

ait Romæ, anno ∞. CC. qui fuit XVIII. Pontificatus Innocentii. Atqui non fuisse XVIII. sed III. constat. Hoc etiam, Archiepiscopum Rodericum totis XI. annis, qui secuti, Toletanam sedem nondum occupasse. Concilium verò illud anno ∞. CC. XV. celebratum est. Sed hæc prætereo: illud etiam, Profectionem hanc Romanam Roderici admodum difficilem fuisse. ait enim ille idem susceptam eo anno, quo capta Corduba. ∞. CCXXXV. Aliique sic scribunt. Iam ut reliquam narrationis censuram persequar: non everto temporum illorum de doctrinâ Archiepiscopi Roderici judicium; sed tempero. Nam quod tabulæ istæ referunt, linguis omnibus apud omnes Gentes concionatum fuisse, nec ab Apostolorum inde temporibus quemquam tantâ doctrinâ, linguarúmque peritiâ exstitisse; cui mirum non videatur? Fando quis accepit eumdem Archiepiscopum nuncii Apostolici munere in Hispaniâ functum? hujus curæ ac regimini Ecclesiam Hispalensem subjectam? huic jus plenum omnibus iis in locis, qui Mauris eriperentur fuisse, instituendi Ecclesias, dandi Episcopos, creandi Canonicos; omnia singulari quodam suffragio sive modo? Verùm & hæc transeo, quæ etsi nullo alîus scriptoris testimonio roborentur; subsistere tamen fortassis possint. Transeo etiam Cardinalis Hiacynthi sententiam. Disceptatio obsecro Archiepiscopi Roderici cum Braccarensi, quâ fidei aurâ adumbretur? Merâ scurrilitate omnia fusca sunt, aliena penitùs à modestiâ atque dignitate Archiepiscopali. Iam narratio de Burdino Anti-Papa, quàm importuna, quàm adfectata! nec adfectata solùm, sed erroribus contexta! Burdini namque nomen ludibrii fuit, quo Mauricius nuncupatus, non quidem cùm Archiepiscopus, sed cùm Anti-papa. Pari calculo constat, exercitum Henrici,

non

non nisi post Pasquali mortem Romam venisse, nequaquam eo vivo. Quod de Schismate quoque Mauritii omninò quoque censendum. Burdinum autem non Alexander III. sed Calixtus II. cepit, qui successor Gelasii. Nam inter Gelasium & Alexandrum, medii fuêre Calixtus II. Honorius II. Innocentius II. Cælestinus. Lucius II. Eugenius III. Anastasius IV. & Hadrianus IV. Altercationi huic altera quæ cum Archiepiscopo Compostellano fuit, subnectitur. quid ni? similes planè atque pares sunt: neque posterior ullo veritatis emblemate priorem vincit. imò utrobique ruditas levitásque se auctoris produnt. Ecce Ecclesiæ D. IACOBI Toletana comparatur, atque etiam præfertur: sed argumentis parum probis aut egregiis. Ejusdem notæ enunciatio illa Toletani: *Absit autem, quòd propter gloriam hujus primatus, asseram corpus B. Virginis, quod firmiter credimus in cælestibus cum Domino gloriosum esse, in Ecclesiâ Toletanâ fuisse aliquando sepultum, pedibus humanis quotidiè conculcandum; membratim me potiùs dilaniari paterer, quàm ad hoc affirmandum animum adjicere.* Non ait quidem, verùm neque negat; &, quasi fabulas consuere fas in re tam magnâ, quia quod neque exstitit, neque dictum unquam fuit, non dixit, laudem pii ac modesti sperat. Sed ad locum, qui de D. IACOBO, revertamur. Duæ clausulæ sunt: alterâ auctor tabularum (quisquis ille fuit) Adventus Apostolici Traditionem admittit: *Memini bene, in primis me annis accepisse à quibusdam sanctis monialibus, & religiosis viduis, paucos admodum ejus prædicatione conversos esse: in quâ cùm tam exiguos progressus effici videret, in patriam reversus fato functus est.* Alterâ, non tam Adventum, quàm legi in Actis Apostolorum negat. *Qui divinam*, inquit, *paginam noverint, testimonium perhibeant.* At nos certè fatemur Adventum IACOBI

in Actis

in Actis Apostolorum non legi. Dicat verò ille quid legerit. *Ego*, inquit, *tantum legi*, *datam ei fuisse prædicandi in Hispaniâ potestatem:* At indicet Cardinalis Baronius, ubi hoc ipsum legatur: illud item quod sequitur, *Apostolum dum iret in Hispaniam Martyrio adfectum.* Hujus lineæ & fili universæ hæ tabulæ sunt. Cardinalis verò hîc expendit, quomodò, cùm Archiepiscopo Compostellano objectum, Ecclesiam ejus ædiculam fuisse, & à Calixto II. in metropolim erectam; quomodò inquam præmeditatus venerit, & tamen obticuerit. Nam si de Calixto verum quod ajunt, taciturum non fuisse. Atque sic argumento à silentio ducto facere suspectum conatur, quidquid à Calixto ad rem præsentem adfertur. Dictum alibi quàm periculosum à silentio argumentum, aut omissione auctoris: magis etiam cùm non scripto, sed sermone res agitatæ, quemadmodum in hac altercatione. Neque enim sæpiùs, quæ concipiuntur, dici solent; neque referri, quæ dicuntur: præsertim cùm relatio ab adversariis tantùm fit, quorum intersit caussam silentio infirmari. Itaque hoc in loco responsione nullâ opus. Nego quid eorum quæ his actis continentur, Archiepiscopum Rodericum protulisse: nego Compostellanum obticuisse. Quibus rationibus fidem tabulis Cardinalis addat, nullâ veritate substructis? Neganti nulla probandi incumbit necessitas; sed adfirmanti. Tamen addam etjam caussas quibus adducor, ut falsas fictitiásque altercationes hasce putẽ, quæ fuisse cum Archiepiscopo Braccarensi, feruntur; magis etiam, ut quæ cum Compostellano. Cum Braccarensi quidem, Nam si quidquam irritare Archiepiscopum Rodericum potuit, hoc unum fuit, quòd sententias Braccarensis rejecerit, litigióque se subtraxerit. At contrarium planè fuit. Solus enim ipse fassus, se hac de caussâ in jus vocatum,
conte-

contestatúmque litem fuisse, ut referunt Mariana & Zurita. Deinde cum Compostellano, magis in aperto falsitas. Clarissimè namque constat, neque ipsum, neque procuratorem ejus concilio interfuisse. imò ne vocatum quidem. Pro Archiepiscopo Tarraconensi (aberat enim) Episcopus Viquensis respondit: reliquos, qui aberant, indefensos omisit. Atque ita Zurita quoque, aítque, nihil decretum in hoc negotio fuisse. Pariter Mariana, his verbis: *Actum præterea de Primatu Ecclesiæ Toletanæ, quem agnoscere Tarraconensis, Braccarensis, Compostellanus, & Narbonensis Episcopus recusabant.* Et infra: *Roderici orationem cum Braccarensis qui aderat, & Ausitanus Episcopus pro Tarraconensi refellere aggressi essent; abessent alii quorum intererat, lite integrâ discessum est, neutrò inclinatis sententiis.*

Nequidquam Cardinalis (fas sit dicere) erroris culpam in Garciam de Loaysa rejecerit. Quis in sententiam coëgit adversarii ire? præsertim cùm Loaysa tabulas hasce, acta esse Concilii non adserat, aut conceptas eâ formâ ut fidem mereantur. Quid igitur? Invenisse se tantùm, Toleti, in codice manuscripto. Ait idem Cardinalis: *Quòd si ea, quæ nunc eâ de re producuntur Calixti Papæ nomine monumenta starent, erubuisset tantus vir, propositis à Compostellano orationibus adeò liberè adversari.* Ego verò pertendo, universam hanc altercationem, quamvis libri Calixti non exstarent, indignam Archiepiscopo Toletano fuisse: sed cùm exstent, cur suspecta potiùs hæc Acta Baronius non habuit, quàm illa Calixti? Complura auctorum subsidia prætereo, quibus auctoritas scriptis Calixti additur. Vnum hoc adfirmo, Rationi admodùm consentaneum esse, ut horum Scriptorum auctor Calixtus censeatur. Hispanus enim haberi possit, cùm quia (communiter sic ajunt) Regi Alphonso VII. sanguine junctus:

tum quia frater ejus in templo D. IACOBI sepultus. Ac certè cùm Ecclesiam ipsam ex ædiculâ in Metropolim amplificarit, conjicere in promptu est, quanto pietatis cultu res Apostoli tractarit. Meritò quidem. tali enim cultu cura ipsa, quâ Vitam Munúsque Apostoli & admirandas virtutes illustravit, digna. Pergit Baronius: *Quin etiam spontè puto abstinuisse à citatione fabulosi Turpini; si tamen illo tempore commentitius ille liber perscriptus erat, vel à pseudo-Isidori sententiâ, vel quod falsò assertur nomine Bedæ, vel aliis, quos assertores ejus sententiæ postea prodidere.* Res dura, tam brevi judicio auctores tam graves condemnari. Turpinus, qui adserendæ huic Traditioni laudatur, annis ante CCCLXXX. jam scripserat, cùm nondum tabulæ istæ essent. Denique liber ipse auctorem suum præfert, eúmque Episcopum, vitæ sanctitate inclytum; & per veteres Galliæ & Hispaniæ bibliothecas sparsus est. Quem si hac in re solâ, quæ tamen gravissimorum scriptorum suffragio sustinetur, fictitium Cardinalis Baronius censet; quomodò tabulas istas, indignas fide, suspicionum plenas, auctorúmque complurium consensui renitentes, sereno judicio admittat? De Pseudo-Isidoro sileo: triginta hujus scripti quod oppugnat, codices manuscripti exstant, membranacei decem, charactere Gothico, adeóque spisso, veteríque, ut vel antiquitas ipsa Auctoris ævum referre videatur. Accedunt Braulion & Sigibertus, qui Isidoro librum adscribunt, auctoritatémque evincunt. Pari suffragio Antonius Augustinus, Ciacconius, Antonius Covarruvias, Ioannes de Grial, viri clarissimæ eruditionis, editione Regiâ. Quanti ponderis ac momenti hæc censura, quisquis bonæ mentis boníque judicii in Italiâ, dicet. Mirum id magis, quod de Collectaneis, atque Martyrologio Bedæ, sine alio fundamento

mento profert (ut omittam hunc librum extra suspicionem omnem scrupulúmque Adoni, Vsuardo, Floro, Trithemio, Molano esse; quorum sententiam in præludiis Martyrologii Romani sequitur, quorúmque in Annalibus auctoritate singulas paginas insignivit:) bis mirum, quòd hanc ipsam de Bedâ sententiam tam perfunctoriè promat, contra tot auctorum, quorum suffragio utimur, sensum ac consensum. Denique, ut controversiam hanc de Prædicatione Hispaniensi componat, ad Epistolam Innocentii redit, & expressam prius in Martyrologio interpretationem refingit; locum quemdam Gregorii VII. quem supra explicuimus, appromens: cujus prima verba libat: *Cùm Beatus Apostolus Paulus Hispaniam se adisse significet, ac postea septem Episcopos ab Vrbe Româ ad instituendos Hispaniæ populos, à Petro & Paulo Apostolis directos fuisse, qui destructâ idololatriâ, Christianitatem fundaverunt*, &c. Atque ita primam Hispaniæ Conversionem Episcopis istis acceptam Cardinalis refert. Sed locus Gregorii animadversione dignus. Principiò namque res controversa est, *An Hispaniam Paulus adierit:* non autem, *An adiisse se significarit*. Id enim cùm neque significarit unquam, neque insinuarit, in disputationem non venit. Promisisse tantùm, aut proposuisse, ex epistolâ ad Romanos colligas: *Cùm in Hispaniam proficisci cœpero, spero quòd præteriens videam vos, & à vobis deducar illuc:* Et inferiùs: *Per vos proficiscar in Hispaniam*. Ita quidem, ut planè ruant hæc verba: *Cùm Beatus Apostolus Paulus Hispaniam se adisse significet*. Magis etiam ruat interpretatio Cardinalis, *Adisse, id est, adire voluisse.*

Difficultate etiam involutum est, quod ait, *Episcopos Româ & à Petro atque Paulo simul in Hispaniam missos, postquam hic ex Hispaniâ redierat*. Profectus enim ex

Hiſpaniâ in Orientem Paulus, Romámque paucis ante Martyrium diebus venit. Nec Hiſtoriæ, quid poſt reditum fecerit, aperiunt. Atque hac ratione ante annum XI. Imperii Neronis, neſcio quomodo ſe Petro junxerit: nimiúmque tarda Epiſcoporum hæc miſſio, juxta poſitum jam calculum fuerit, quem multi quidem ideò non ſequuntur. Nam Petrus Galeſinius expreſsè refert à ſolo Petro deſignatos Epiſcopos, inque Hiſpaniam miſſos. Et Guilielmus Eiſſen Spirenſis, de S. Euphraſio loquens: *Sanctus*, inquit, *Euphraſius Hiſpanus* IACOBI *Zebedæi auditor, & Diſcipulus, Illiturgi ordinatus eſt Epiſcopus, anno Chriſti* XLV. *Claudio Auguſto Germanico, V. CO.* Atque annum hunc XLV. Ioannes Vaſæus ſignavit. Hinc etiam confirmatur, II. anno Claudii Romam veniſſe Petrum, móxque Evangelii præcones per univerſum Occidentem miſiſſe; ut Nauclerus & Genebrardus teſtantur. Quin idem hic auctor Iuſtinum Martyrem, S. Clementem, alióſque ſequens, intra XX. ab Aſcenſione annum ſparſum Fidei ait lumen per univerſum orbem. Ita ut prius miſſos in Hiſpaniam Epiſcopos, & à ſolo Petro, ratio ſuggerat; Epiſtolâ Innocentii, ſi rectum inimus ſenſum nequaquam refragante. Sed quod propoſitum noſtrum tangit, Gregorii ille locus, ſive illa verba: *Qui deſtructâ idololatriâ Chriſtianitatem fundaverunt*, plana ſunt, & rationibus noſtris obnoxia. Neque enim hos fuiſſe primos Gregorius intelligit, qui Evangelium in Hiſpaniâ intulerunt; ſed fuiſſe Paulum; imò ne hunc quidem primum. Atque ſic liber & illæſus IACOBI in Hiſpaniam Adventus conſiſtit.

Objiciat tamen quiſpiam, ac neget, Veniſſe in Hiſpaniam IACOBVM, *quòd inde exierit. Quæ enim cauſſa diſceſſus?* Sed hæc difficultas Pauli pariter Adventum involvat: ſi tamen difficultas, nulla enim eſt.

Cauſſa

Caussa verò discessus triplex. Prima: Institutum enim Apostolorum erat, moram uno in loco non trahere: utpote quorum munus onúsque erat, toto terrarum orbe doctrinam Evangelicam propagare. Ita D. Paulum legimus, Hierosolymis in Illyricum, inde in Hispaniam transcurrisse; posteà in Orientem reversum; iterúmque Romam. Petrum etiam regiones omnes maritimas Palæstinæ peragrasse; profectum in Hispaniam, rediisse Antiochiam, ac denuò Romam. Secunda: Hierosolymis Petrus erat cùm IACOBVS reverteretur: reverti autem æquum erat, ut primati ac capiti suo rationem eorum quæ gesserat in Hispaniâ, exponeret. Id de Paulo, cùm visum iret Petrum, Ambrosius exponit. *Dignum*, inquit, *fuit, ut cuperet videre Petrum, quia primus erat inter Apostolos, cui delegaverat Salvator curam Ecclesiarum.* Et D. Chrysostomus: *Ascendit autem ad maiorem, & seniorem.* Tertia: Nam Peregrinatio hæc Apostolorum & Prædicandi ratio, à Spiritu sancto regebatur. Acta Apostolorum clarè id ostendunt: sed locus unus è multis rem stabiliat: *Transeuntes autem Phrygiam, & Galatiæ regionem, vetati sunt à Spiritu sancto loqui verbum Dei in Asiâ. Cùm venissent autem in Mysiam, tentabant ire in Bithyniam, & non permisit eos Spiritus* IESV. Ac certè credibile est, IACOBVM Apostolum, quem primum Apostolorum corona Martyrii manebat, divinitùs evocatum, ut reditu, ac Martyrio suo fidem religionémque quam profitebatur, Hierosolymis potissimùm stabiliret atque illustraret.

Finem igitur Dissertationi huic impono, & veritatem sacræ historiæ obsigno: Veritatem inquam, in Hispaniâ luculentis monumentis confirmatam, publicâ & incorruptâ Traditione ab antiquissimis inde temporibus de manu velut in manum ad nos derivatam,

tam, Summorum Pontificum auctoritate munitam, denique vetustâ omnium Hispaniæ Ecclesiarum Liturgiâ celebratam, quam quidem Liturgiam universa Ecclesia Catholica, sacri Concilii Tridentini auctoritate atque decreto præscriptam, recepit: quámque Pius V. Pontifex Max. singulari Diplomate approbavit atque roboravit; ne quis unquam, sive universam, sive partem aliquam immutaret. In ipso Breviario, ubi mentio sive commemoratio vitæ, gestorúmque heroicorum IACOBI Apostoli, verba hæc posita: *Peragratâ Hispaniâ, ibique Evangelio prædicato.* Sixtus V. pariter qui successit, cùm novo Diplomate per octiduum integrum sollemnia Apostoli juberet celebrari, tamquàm fundamentum, Adventum ejus in Hispaniam, & Prædicationem habuit, quâ Provinciâ hæc à vanâ Idolorum superstitione, ad verum veri Dei cultum revocata est, ut Hymni hæc verba quo Festum & ipsa ὀγδόη sollennis testantur.

Tu cæca nox atque impia
Nos cùm teneret vanitas,
Lucem salutis primitùs
Oris Iberis impetras.

Ac sanè universa Ecclesia Catholica Adventum Petri Apostoli Romam agnoscit celebrátque; cùm haut magis tamen sacræ Scripturæ testimonio, quàm ille IACOBI in Hispaniam, evincatur. quia verò tam antiquâ Traditione nititur, & communi Fidelium omnium consensu, nemo non Calvini, aliorúmque hæreticorum, qui obstrepere ausi, impium ac impudentem errorem detestatus est.

Sed firmissimum, ut diximus, in re nostrâ fulcrum est, antiquissima, & ab Ecclesiâ Vniversali Liturgicis expressa & celebrata Traditío. Venit in Hispaniam APOSTOLVS; ac tutelam ejus adsumpsit, Recessit

ſit etiam, ſed ne divelleretur. Corpus à Martyrio velut pignus recepimus, divino quodam miraculo Hieroſolymis Compoſtellam tranſlatum. Imò venit, & hinc admiranda illa beneficia, quibus univerſam Hiſpaniam Apoſtolus adfecit, cùm in prœliis adversùs Mauros Sanctæ religionis hoſtes apparens, auxilium ceu fortiſſimus ductor (& in hac, & aliâ quoque occaſione) tulit, manifeſto amoris indicio, quo in Regna hæc, ceu ſacra pignora, jure prædicationis Evangelicæ ſua, ferebatur, imò fertur. Etenim invocatio tam glorioſi nominis, atque adeò conteſtatio inſignes olim in defenſione Fidei victorias militibus Hiſpanis peperit, hodiéque parit. Id ſacra toto Chriſtiano orbe altaria, in quibus imago Apoſtoli, teſtantur. Ac profectò, niſi in Hiſpaniâ D. IACOBVS fuiſſet, nec prædicationis ſuæ tot tantáque reliquiſſet pignora; cur ſacratiſſimum ejus corpus Hieroſolymis potiùs non quieſceret, id eſt in ipſo Martyrii loco, & ubi Magiſter ejus ſepultus erat? cur per tot maria terráſque tranſlatum, ut Compoſtellæ deponeretur? Alia ſanè ratio dari non poteſt, niſi quia priùs hîc Fidei præconium propagarit. Rectè Reverendiſſimus Epiſcopus Iaënſis Don Sanchus de Avila, in vitâ glorioſi Martyris S. Vitalis cenſet divinæ providentiæ decretum eſſe, ut quicumque ſanctorum primùm in Hiſpaniâ munus Apoſtolicum prædicando obierint, inibi quieſcant, ac ſingulari reverentiâ pietatéque colantur: uti videre eſt in ſacro corpore glorioſi Apoſtoli IACOBI, ejúſque Diſcipulorum, ac ceterorum quos Epiſcopus recenſet. Et quod ad Apoſtolum attinet; confirmari poteſt teſtimonio S. Hieronymi in caput XXXIV. Iſaiæ, ad hæc verba: *Ipſe miſit eis ſortem & manus ejus diviſit eam illis im menſuram:* Vbi S. Hieronymus. *Sic allegoricè interpretabimur, ut doceamus*

cervos

cervos, id est Apostolos, & Sanctos quosque Doctores, de quibus scriptum est, Sicut desiderat cervus ad fontes aquarum, &c. *obviasse sibi in Ierusalem, & mutuos vidisse conspectus, & transisse ac reliquisse eam, & ad diversas provincias perrexisse, quia Dominus mandaverat eis; Ite & docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti; & Spiritus illius congregaverit eos, dederitque eis sortem atque diviserit, ut alius ad Indos, alius ad Hispanias, alius ad Illyricum, alius ad Græciam pergeret, & unusquisque in Evangelii sui atque doctrinæ provinciâ requiesceret.* Hoc ipsum S. Cyrillus scribit. Itaque (ex sententiâ horum virorum loquar) cùm primus in Hispaniâ Evangelium D. IACOBVS annunciarit, cúmque divino consilio Apostolus Hispanorum, Divúsque Tutelaris constitutus sit, factum, ut gloriosi corporis thesaurus apud nos quoque servaretur. Si non: scire velim, cur præ reliquis Apostolis hic noster regnorum istorum, velut admirandâ virtute scutum ac defensio exstiterit? Res tota ancipiti fide fluctuet, si de primo Adventu & Prædicatione dubitatur. Hoc præcipuè nos erigit, quòd admodùm nova hæc dubitatio, & paucorum: quòd opinionibus conjecturísque fundata: ut contrà Historiæ ipsius veritas atque Traditio antiquissima est, támque in animis omnium Catholicorum radicata, ut pia & fructuosa semper peregrinatio Compostellana habita sit. Huc certè (sicut in eodem Breviario Romano notatur) è toto orbe concurrunt Christiani, quorum pietatem insignibus Gratijs Indulgentiísque Summi Pontifices prosecuti sunt: atque adeò in Diplomatibus suis votum hujus, itémque Romanæ peregrinationis ad Apostolorum limina conceptũ eximere solent. Apud Armenios etiam (ut fertur) difficulter Compostellanæ profectionis votum remittitur. Hi ceu Tutelarem D.

IACO-

IACOBVM invocant; quia ab eodem, cùm Hierosolymis in Hispaniam proficisceretur, edocti Evangelii arcana, & (hæc firmissima Traditio est) Fidei auspiciis donati. Evidentissima profectò, & omni responsione majora sint argumenta rationésque necessum est, quibus ex animo pio atque Catholico, tanti, támque solidi sacríque fundamenti Traditio evertatur. Quàm imbecillæ adversariorum vires, jam vidimus: è quibus sciscitari nunc etiam lubet, quid emolumenti hac novitate Ecclesiâ, aut quid fructus pietas Christiana recipiat, pulsâ & rejectâ veritate tot seculorum consensu confirmatâ, fideliúmque omnium animis receptâ: maximè cùm certum sit, res alias, nec firmiori fundamento innixas, tantæ venerationis fideíque pretio insignes esse, ut siquis in controversiam vocaret, gravi censurâ notaretur. Ac tametsi nihil hîc præter sequelam, aut occasionem spectemus, quam novitatis amatores arripiant, linguæ in similia acuendæ; tamen operæpretium censeo examinare, quàm oportunũ ac salubre hîc Platonis consilium sit: *Non movenda ne moveas.* Itaque Optimi Maximi Pontificis sanctissimam auctoritatem imploramus, ne clausulam illam: *Peragratâ Hispaniâ, ibique prædicato Evangelio*, tolli aut mutari ullo modo patiatur: sed uti conservari jubeat, quemadmodum à Pio V. Pontifice constitutum mandatúmque dicto diplomate fuit, his verbis: *Statuentes, Breviarium ipsum nullo unquam tempore, vel totum, vel parte mutandum, vel aliquid ei addendum, vel omnino detrahendum esse.*

Tempore Sanctissimi Pontificis & Martyris Stephani, plures Ecclesiæ antistites, aliíque doctrinâ & sanctitate illustres viri fuere, qui constantem & acceptam Ecclesiæ circa Baptisma ab Hæreticis collatum traditionem, in dubium vocarunt. At prudentissimus

Pontifex cùm incommoda perspiceret, copiosè nascitura, siquid in re receptâ & confirmatâ disputationes turbarent, egregiam & se dignam sententiam tulit: *Nihil innovetur, sed quod traditum est custodiatur.* Idem, bono jure in hac causâ à prudẽtissimo zelo sanctissimi Patris & Pontificis nostri audebimus sperare.

IAM ad finem perductæ hæ Vindiciæ, & ad editionẽ paratæ erant, cùm in manus meas venit Breviarium novum, impressum Romæ, anno ∞. IↃCII. in quo (si quis animum advertat) multum roboris & auctoritatis rationes accipiunt, quibus Adventum D. IACOBI Apostoli in Hispaniam asseruimus. Etenim mens Pontificis nequaquam est, Breviarii clausulas decreto & auctoritate sacri Concilii, Pontificísque Pii V. insertas atque digestas, mutare: sed ad pristinam integritatis formam veritatémque reformare, privatorum hominum culpâ imminutam. Cùm verò hæc clausula, *Peragratâ Hispaniâ, ibíque prædicato Evangelio*, inter eas quæ à Concilio Summóque Pontifice admissæ, ponatur; hautdubiè à mente Pontificis clausulæ hujusce mutatio abhorret, atque adeò sanctissimum ejus institutum evertit, quod est, non innovare quidquam, sed restituere & illæsum conservare, sicuti è Sanctissimi Pontificis sacríque Concilii velut manibus processit. Clarè hoc ipsum diplomate suo indicat Pontifex Clemens VIII. quod præponi nouæ huic editioni mandavit. Inibi namque, cùm Breviarium istud Pii V. luculentis rationibus comprobasset, ídque ipsâ clausulâ quam idem Pius V. præmisit: *Statuentes, Breviarium ipsum nullo unquam tempore, vel totum, vel ex parte mutandum, aut illi aliquid addendum vel detrahendum*; inibi inquam Sanctissimus Pater Clemens IIX. ait: *Cùm verò progressu temporis typographorum*

rum

rum negligentiâ & incuria, & nimiâ aliorum etiam ea quæ ad ipsos non pertinent temerè sibi assumentium audaciâ ac licentiâ multi errores in illud irrepserint, tum in vitis Sanctorum & rubricis, aliísque locis sine nostrâ & Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum authoritate, pro cujusque arbitrio, pleraque addita, & mutata fuerint, &c. quibus verbis certum est comprehendi non potuisse quæ de Diuo IACOBO mutata; quia nec Typographorum errore immissa sunt, nec audaciâ ac licentiâ hominis privati; sed auctoritate Summi Pontificis Pii V. ac decreto Sacri Concilii Tridentini. Id verò confirmatur clariúsque evadit, è collatione formulæ utriusque, veteris inquam & novæ. Vetus hæc fuit: *Peragratâ Hispaniâ, ibique prædicato Evangelio*. Nova, ista: *Verùm* IACOBVS, &c. *prædicato Evangelio per Iudæam & Samariam*, &c. *mox Hispaniam adisse, & aliquos discipulos ad fidem convertisse Ecclesiarum illius provinciæ traditio est. Ex quorum numero septem postea à Petro Episcopi ordinati in Hispaniam primi directi sunt*. E novâ istâ validissima ratio eruitur, quâ doceamus veterem restituendam atque conservandam esse. Quemadmodum enim in istâ legimus, omnium Ecclesiarum Hispaniæ traditione, Diui IACOBI Adventum stabiliri; non sine gravi notâ quis rejiciat quod tot taliúmque Ecclesiarum Traditione confirmatur: cùm etiam, ut DD. Augustinus & Hieronymus tradunt, non solùm Ecclesiarum omnium in unoquoque regno Traditiones æstimandas & observandas esse; sed cujúsque Ecclesiæ, cùm nihil quod fidei bonísque moribus repugnet, continent. Atque hinc quidem manifestum est, quid auctoritatis insit, imò quæ veneratio debeatur Traditionibus tot Ecclesiarum tam magni & diffusi regni, in re & argumento quod adeò non infringit bonorum morum pietatem, ut foveat,

augeátque, imò ut confirmet roborétque testimonii vice Catholicam nostram fidem. Ipse verò D. IACOBI Apostoli in Hispaniam Adventus, cùm tam exploratus támque egregiis Catholicísque fundamentis (ut in novâ istâ clausulâ notatum est) fulciatur; non videtur à mutatione antiquæ formulæ ulla erui ratio, quæ ad Christianam pietatem faciat, cùm eadem utrobique veritas designetur. Neque obstat, quòd nonnulli obtendunt, causam nullam esse cur de re laboremus variato loquendi modo expressâ, cùm utrâque in clausulâ Adventus Apostoli confirmetur. Non inquam obstat, quia maximi momenti hæc mutatio. In veteri enim clausulâ historiæ veritas affirmatè & absolutè proponitur: in novâ cùm severâ isthac limitatione: *Hispaniam adisse, Ecclesiarum illius provinciæ Traditio est.* Et quis discrimen non distinguit, quantúmque de historiæ auctoritate & veritate delibetur, cùm (ut fusè demonstratum est) non solùm nostrarum Ecclesiarum hæc Traditio sit, sed totius Christiani orbis? Præterea novæ hujus clausulæ intellectus infra communem Traditionem consistit, nec omnia quæ de Evangelii per hæc regna propagatione accepimus, complectitur aut repræsentat. Ajunt igitur hanc clausulam, *Peragratâ Hispaniâ*, non vnâ difficultate laborare; atque adeò, si verum amamus, prodigii instar videri, tot regna támque diffusa Apostolum docendo peragrasse. Sed hîc reponimus (ut in ipsis Vindiciis factum) sine dubio miram ac prodigiosam celeritatem fuisse, quâ toto orbe Evangelium Apostoli celebrarint. Divus Chrysostomus quoque Homil. 1. in historiam Apostolicam, eosdem scribit veluti aves fuisse, ac velocissimo cursu universum orbem terrarum pervolasse: imò hac de re Propheta Isaïas loquens, capite LX. de Apostolis quærit: *Qui sunt hi,*

qui

qui ut nubes volant, & veluti columbæ ad fenestras suas? Et Divus Lucas in Actis Apostolorum capite IIX. refert, Philippum, cùm Eunuchum Candaces Reginæ doctrinâ Christi instruxisset, atque baptizasset, raptum translatúmque momento temporis fuisse è Gazâ desertâ in Azotum. Sanctus Ioannes Damascenus, Sermone de Dormitione Deiparæ, antiquam Assumptionis Traditionem enarrans, tum quoque omnium consensu validam, Apostolos scribit per longinquas orbis plagas dispersos, optato illo tempore, quo Sanctissima Virgo Mater à vitâ hac mortali ad æternam transferenda erat, momento per aërem transvectos, excessui gloriosissimæ Virginis simul adfuisse. Propheta Habacuc, ut prandium ferret Danieli, qui erat in lacu Leonum, repente è Iudæâ in Babyloniam ab Angelo raptus fuit: *Et apprehendit eum* (verba Scripturæ sunt, Danielis cap. XIV.) *Angelus Domini in vertice ejus, & portavit eum capillo capitis sui, posuítque in Babylonem super lacum, in impetu spiritus sui.* Credibile sanè est, dignúmque divinâ providentiâ, Apostolos admiranda itinera confecisse, ut summâ cum celeritate spiritualem Fidei Catholicæ cibū mortalibus ministrarent, qui in obscurissimo lacu gentilitatis hærebant, & in ipsis faucibus monstri infernalis. Divum verò IACOBVM cuncta hæc Hispaniæ regna peragrasse, tam verum certúmque est, quàm Venisse: traditum enim pari fide accepimus, in Galiciâ Prædicasse. Videtur etiam Regius Propheta Dauid in hanc rem testimonium tulisse, Psalmo XIIX. qui tot antè seculis, de Apostolorum prædicatione agens, cùm inquireret quousque proferendæ & audiendæ essent sacri præconii voces, aït: *In omnem terram exivit sonus eorum.* Imò distinctè D. IACOBI Prædicationem notans, addit: *Et in fines orbis terræ verba eorum,* digito quasi

quaſi commonſtrans, tractum illum Galiciæ, ubi divini verbi ſemina Apoſtolus ſparſit; qui hodiéque idem illud nomen obtinet *Finis terræ*, nomen Geographis olim, & nunc quoque familiare. Eâdem etiam Traditione accepimus, Cæſarauguſtæ Evangelii arcana docuiſſe, templúmque Diuæ Virginis de Pilari exſtruxiſſe, quemadmodum ſollennes ejuſdem Eccleſiæ preces, à Pontifice Clemente IIX. approbatæ, teſtantur. Itaque cùm certo certius ſit, Divum IACOBVM utrumque hunc tractum, ſive extremas maximéque diſtantes Hiſpaniæ oras veſtigiis ſermonibúsque ſacris condecoraſſe, neceſſariò veteris formulæ verba, *Peragratâ Hiſpaniâ, ibíque prædicato Evangelio*, confirmanda ſunt: quæ tamen in renovatâ iſtâ liqueſcunt. Ex his omnibus educi argumentum poſſit, nullâ (ut mihi quidem videtur) reſponſione infringendum: Fidem Adventui Divi IACOBI in Hiſpaniam aut tribuimus, aut negamus. Si hoc, neque tolerari nova in Breviario formula poteſt, quippe quæ attribuit; neque ad omnium Hiſpaniæ Eccleſiarum Traditionem referri, ut refertur. Si iſtud, & fidem (quam res ipſa exigit) Adventui tribuimus, cauſſam non video, cur vetus clauſula, quam tam luculentæ validæque rationes, ut dictum eſt, firmant, ullo modo mutetur. Neque ad rem quicquam facit, ſi quis reſpondeat, fidem quidem attribui, ſed eam quam Traditio Eccleſiarum Hiſpaniæ exigere ab homine Chriſtiano poſſit. Nam ſi rem totam ad Traditionem referamus, ipſa iſta fides verum ſatis certúmque Adventum facit, ad mutationem veteris clauſulæ impediendam.

Satis liquet, ante decennium neminem retrò mortalium inventum fuiſſe, qui de Adventu D. IACOBI in Hiſpaniam dubitârit. Ita ſcribit Thomas Stapletonius, Anglus, auctor gravis doctúsque noſtri tempo-

ris,

ris, libro I. de Magnitudine Romanæ Ecclesiæ, his verbis: *Verum & indubitatum est, toto terrarum orbe veluti in provincias distributo, factâ primùm in Iudæâ, & Samariâ divini Evangelii prædicatione, iuxta ordinem à Christo præscriptum, Petrum in Italiâ, Paulum in Græciâ, Andream in Achaiâ, Ioannem in Asiâ,* &c. *Iacobum in Hispaniâ, hoc Christi Evangelium, cujus caput Roma, latissimè propagasse.* Atque hoc modo ne anno quidem ∞. IↃ. XCVI. quo auctor hic scripsit, ulla in hanc veritatem sinistræ opinionis suspicio aut velitatio detecta fuit. Expendamus nunc etiam, quid roboris nova & à paucis annis nata contradictio habere possit adversus Traditionem tot seculorum, contra numerum tot gravissimorum auctorum, non Hispaniæ solùm, sed universæ Europæ. Imò quid in sacrarum precum officiíque divini receptas formulas: quid in Breviaria tot Ecclesiarum, tot Regnorum: quid adversus tam insignium miraculorum ac beneficiorum testimonium, quibus Hispanos Apostolus affecit & tutatus est: quid aduersus ea, quæ à viris sanctis, ipsísque summis Pontificibus confirmata sunt: quid adversus communem opinionem sensúmque omnium populorum. Atque ita Vindicias hasce verbis censuráque Sancti Ignatii, epistolâ ad Hieronem Diaconum, concludamus: *Omnis qui aliquid dixerit, præter illa quæ tradita sunt, tametsi fide dignus, tametsi ieiunet, tametsi virginitatem servet, tametsi digna faciat, tametsi prophetet, Lupus tibi appareat in grege ovium corruptionem operans.* Verbis item Vincentii Lirinensis Scriptoris Sancti & antiqui, libro doctissimo quem contra profanas Hæresum novitates composuit, cap. XXXVII. *Quidquid vel omnes, vel plures uno eodémque sensu manifestè, frequenter, velut quodam consentiente sibi magistrorum consilio accipiendo, tenendo, tradendo firmaverunt, id* pro-

pro indubitato, certo, ratóque habetur; quidquid verò quamvis ille sanctus & doctus, quamvis Episcopus, quamvis Confessor & Martyr, præter omnes, aut etiam contra omnes senserit; id inter proprias & occultas, & privatas opiniunculas, à communis, publicæ ac generalis sententiæ authoritate secretum sit: ne cum summo æternæ salutis periculo iuxta sacrilegam hæreticorum, & schismaticorum consuetudinem, universalis dogmatis veritate dimissâ, unius hominis novitium sectemur errorem.

FINIS.

RELIG
DIVER



calibrite
colorchecker CLASSIC
mm